

# MARTYROLOGIUM ROMANUM

**GREGORII XIII**

JUSSU EDITUM

**URBANI VIII ET CLEMENTIS X**

AUCTORITATE RECOGNITUM

AC DEINDE ANNO MDCCXLIX

**BENEDICTI XIV**


LABORE ET STUDIO AUCTUM ET CASTIGATUM



**Eystadii**

—  
MMXIII





# Desideratus Josephus

TITULI S. PETRI AD VINCULA, SANCTAE ROMANAE  
ECCLESIAE PRESBYTER  
CARDINALIS MERCIER,  
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS  
MECHLINIENSIS,  
PRIMAS BELGII

Omnibus has visuris salutem in Domino.

Cum hoc anno MCMII, SS. D.N. Leone Papa XIII, auspice et patrono, novum prodierit Martyrologium ad cuius normam juxta Decretum S.R.C. die 1 Maji anni praedicti omnis deinceps Martyrologii Romani editio imprimenda foret; cumque audiverimus praesentem memorati Martyrologii editionem, novis Sanctorum elogiis auctam, opera typographi nostri HUBERTI DESSAIN absolutam, diligenti facta collatione per Venerabilem Dominum G. VAN CASTER, ecclesiae nostrae Metropolitanae canonicum capitularem, ad hoc specialiter deputatum, fideliter concordare cum originali a S.R.C. reviso et approbato, hanc ipsam approbamus et evulgandi licentiam damus.

Datum Mechliniae sub nostris signo sigilloque ac Secretarii nostri chirographo die 28 Martii 1913.

+ **D.J. CARD. VAN MERCIER**, *Archiep. Mechlinien.*

De mandato Emi ac Rmi Dni Card. Archiepiscopi.

**P. VAN MESSEM**, *Secret.*

# Index

Rubricae Martyrologii .....	6
Lectiones per totum annum .....	10
Januarii .....	21
Februarii .....	62
Martii .....	99
Aprilis .....	138
Maji .....	177
Junii .....	223
Julii .....	263
Augusti .....	309
Septembris .....	358
Octobris .....	404
Novembris .....	448
Decembris .....	490
Appendix ad Martyrologium Romanum .....	534

# Rubricae Martyrologii

Lectio Martyrologii recitatur quotidie in Choro ad Primam ante versum **Pretiosa**, excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur. Legitur autem semper praecedenti die illa, quae memorias Sanctorum sequentis diei continet, praeponendo Kalendas, Nonas, vel Idus, et quantitatem Lunae eiusdem sequentis diei.

Lector non petit benedictionem, sed absolute incipit a Kalendis ut supra: qui etiam in fine leget nem brevem ad absolutionem Capituli.

Festa, de quibus eo die sit Officium, semper primo loco ponuntur: quod etiam servandum erit et in festis mobilibus, quae pronuntianda sunt ut infra dicitur; et in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis et locis, ubi praecipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, fide illis ibidem agatur Officium: si vero non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, et Virgines post Virgines.

In fine cuiuslibet diei semper additur: Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, et Confessorum, atque sanctarum Virginum **Et respondetur a Choro: Deo gratias.**

Festa Mobilia cum singulis annis mutantur, non potuerunt in Martyrologio adscribi, sed hoc loco posita sunt, ut unumquodque post Kalendarum et Lunae pronuntiationem, immediate praeponatur Lectioni Martyrologii illius diei, in qua eo anno celebrabitur, hoc modo:

*Sabbato ante Dominicam primam Adventus:*

Dominica prima Adventus Domini nostri Jesu Christi.

*Sabbato ante Dominicam secundam post Epiphaniam:*

Festum Sanctissimi Nominis Jesu.

*Sabbato ante Dominicam Septuagesimae:*

Dominica Septuagesima, in qua deponitur Canticum Domini, Alleluja.

*Feria tertia post Dominicam Qinguagesimae:*

Dies Cinerum, et initium jejunii sacratissimae Quadragesimae.

*Feria quinta post Dominicam Passionis:*

Festum Septem Dolorum Beatissimae Virginis Mariae.

*Sabbato ante Dominicam Palmarum:*

Dominica Palmarum, quando Dominus noster Jesus Christus, juxta Zachariae propheriam, sedens super pullum

asinae, Jerosolymam intravit; cui turba cum ramis palmarum obviam venit.

*Feria quarta majoris Hebdomadae:*

Cœna Dominica, quando Christus Jesus, die quam pro nostra salute crucifigeretur, mysteria Corporis et Sariginis sui discipulis tradidit celebranda.

*In die sancto Paschae, antequam legantur Kalendreae:*

Hac die quam fecit Dominus, Solemnitas solemnitatum et Pascha nostrum: Resurrectio Salvatoris nostri Jesu Christi secundum carnem.

*In Vigilia Ascensionis:*

In Monte Oliveti Ascensio Domini nostri Jesu Christi.

*In Vigilia Pentecostes:*

Dies Pentecostes, quando Spiritus sanctus Jerosolymis super discipulos igneis linguis advenit.

*Sabbato infra Octavam Pentecostes:*

Festum sanctissimae et individuae Trinitatis.

*Feria quarta post Octavam Pentecostes.*

Festum sacratissimi Corporis Christi.



*Sabbato ante Dominicam infra Octavam Assumptionis  
Beatae Virginis Mariae:*

Sancti Joachim Patris beatissima virginis genitricis Dei  
Mariae, cujus natalis dies refertur cerridecimo Kalendas  
Aprilis.

*Sabbato ante Dominicam infra Octavam Nativitatis beatae  
Mariae virginis:*

Festum sanctissimi Nominis beatae Mariae virginis, quod  
Innocentius undecimus ob insignem victoriam a Christianis  
de Turcis reportatam, infultantibus Viennae in Austria  
partam celebrari mandavit Dominica infra Octavam  
Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis.

*Sabbato ante Dominicam primam Octobris:*

Solemnitas Rosarii beatissimae Mariae Virginis.

Deinde pronuntiantur Kalendae, et Martyrologium sequentis  
diei.



# Lectiones per totum annum

Ad absolutionem Capituli

---

## Lectiones propriae de tempore

In Adventu, nam in Dominicis, quam in Feriis, usquead Vigiliam Nativitatis Domini, Lectio.

Domine, miserere nostri, te enim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulantis. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

In Vigilia Nativitatis Domini, Lectio.

Per quem accepimus gratiam, et Apostolatam ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, in quibus estis et vos vocati Jesu Christi Domini nostri. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

In die Nativitatis Domini et per Octavam, Lectio.

Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo sancti Stephani Protomartyris, Lectio.**

Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. **Tu autem Domine miserere nobis. R.** Deo gratias.

**In festo sancti Joannis Evangelistae, Lectio.**

In medio Ecclesiae aperuit os ejus, et implevit illum Dominus spiritu sapientiae et intellectus, et stolam gloriae induit eum. **Tu autem Domine miserere nobis. R.** Deo gratias.

**In festo sanctorum Innocentium, Lectio.**

Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium: sine macula enim sum ante thronum Dei. **Tu autem Domine miserere nobis. R.** Deo gratias.

**Dominica infra Octavam Nativitatis Domini, Lectio.**

Itaque jam non est servus, sed filius; quod si filius, et haeres per Deum. **Tu autem Domine miserere nobis. R.** Deo gratias.

**In Epiphania Domini et per Octavam, Lectio.**

Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. **Tu autem Domine miserere nobis. R.** Deo gratias.

**Dominica infra Octavam Epiphaniae, Lectio.**

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, in Christo Jesu Domino nostro. **Tu autem Domine miserere nobis. R. Deo gratias.**

**In Dominicis et feriis per annum ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae, Lectio.**

Dominus autem dirigat corda et corpora nostra in caritate Dei, et patientia Christi. **Tu autem Domine miserere nobis. R. Deo gratias.**

**In Dominica prima Quadragesimae, et in aliis Dominicis et feriis usque ad Dominicam Passionis, Lectio.**

Quaerite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est. **Tu autem Domine miserere nobis. R. Deo gratias.**

**In Dominica de Passione et feriis usque ad feriam quartam majoris Hebdomadae, Lectio.**

Faciem meam non averti ab increpantibus et conipientibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus. **Tu autem Domine miserere nobis. R. Deo gratias.**

**In die sancto Paschae et per Octavam, et in omnibus Dominicis et feriis usque ad Ascensionem, Lectio.**

Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In Ascensione Domini et per Octavam, Lectio.

Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### Dominica infra Octavam Ascensionis, Lectio.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In die sancto Pentecostes et per Octavam , Lectio.

Judaci quoque, et Proselyti, Cretes, et Arabes, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In sexto sanctinimae Trinitatis, Lectio.

Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festo sanctissimi corporis Christi, Lectio.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis et sanguinis Domini. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

---

## Lectiones propriae in festis per annum

### In festo sancti Andreae Apostoli, Lectio.

Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., Lectio.

Signum Magnum aperiuit in coelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In Festo SS. Nominis Jesu, Lectio.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

---

**In festo sanctae Agnetis virginis et martyris, Lectio.**

Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu angustiae, Domine Deus noster. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In Conversione sancti Pauli Apostoli, Lectio.**

Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judaeos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In Purificatione beatae Mariae, virginis, Lectio.**

Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem sicut dies saeculi, et sicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo sancti Joseph Sponsi beatae Mariae Virginis, Lectio.**

Profugum justum deduxit Sapientia per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo Annunciationis beatae Mariae Virginis, Lectio.**

Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice ejus ascendet. Er requiescet super eum Spiritus Domini. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festivitibus sancta Crucis, Lectio.

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In Nativitate sancti Joannis Baptistsae, Lectio.

Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunc Dominum Deum tuum, et Sanctum Israel, qui elegit te. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In Commemoratione sancti Pauli Apostoli, Lectio.

Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festo sancti Petii ad Vincula, Lectio.

Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judaeorum. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festo Transfigurationis Domini, Lectio.

Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de



coelo a Deo , habentem claritatem Dei; et lucerna ejus est Agnus. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo sancti Laurentii, Lectio.**

Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ficut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus justitia ejus manet in saeculum saeculi. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo Dedicacionis sancti Michaelis Archangelis, Lectio.**

Factum est praelium magnum in coelo: Michael et Angeli ejus praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus: et non praevaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo sanctorum Angelorum Custodum, Lectio.**

Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te: praecedetque te Angelus meus. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo omnium sanctorum et per Octavam, Lectio.**

Benedictio, et claritas, et sapientia , et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro, in saecula saeculorum, Amen. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

---

## Lectiones communes in festis per annum

### In Festis Apostolorum, Lectio.

Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festis Apostolorum et Martyrum a Pascha usque ad Pentecostem, Lectio.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festis unius Martyris, Lectio.

Justus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

### In festis plurimorum Martyrum, Lectio.

Fulgebunt justii, et tamquam scintillae in arundine discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo Confessorum Pontificum, Lectio.**

Fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius et offerre illi incensum dignum in odorem sua vicatis. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festo Confessorum non Pontificum, Lectio.**

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi te regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festis sanctarum Virginum et Martyrum, Lectio.**

Domine Deus meus, exaltisti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecata sum. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meae et in tempore superbiorum sine adiutorio. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festis sanctarum Virginum et non Martyrum, Lectio .**

Quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniam apud Deum non est, et apud homines. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festis sanctarum Martyrum tantum, Lectio.**

Laudabis usque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruisiustinen teste, et liberas eos de manu angustiae, Domine

Deus noster. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In festis sanctarum Mulierum nec virginum nec martyrum, Lectio.**

Multae filiae congregaverunt divitias: tu supergressa es universes. Fallax gratis, et vana est pulchricudo mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In Dedicatione Ecclesiae, Lectio.**

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

**In Festis beatæ Mariæ Virginis et per Octavam et in Officio ejusdem in Sabbato, Lectio**

In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.



# Januarii

**1 Januarii**                      **Kalendis Januarii.**                      **xxij. A**

Circumcisio Domini nostri Jesu Christi, et Octava Nativitatis ejusdem.

Romae passio sanctae Martinae, Virginis et Martyris; quae, sub Alexandro Imperatore, diversis tormentorum generibus cruciata, tandem, gladio percussa, martyrii palmam adeptam est. Ipsius vero festum tertio Kalendas Februarii recolitur.

Caesareae, in Cappadocia, depositio sancti Basili, cognomento Magni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; qui, tempore Valentis Imperatoris, doctrina et sapientia insignitus omnibusque virtutibus exornatus, mirabiliter effulsit, et Ecclesiam adversus Arianos et Macedonianos inexpugnabili constantia defendit. Ejus autem festivitas potissimum agitur decimo octavo Kalendas Julii, quo die Episcopus ordinatus est.

Apud montem Senarium, in Etruria, natalis sancti Bonfilii Confessoris, e septem Fundatoribus Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, quam cum idem impense coluisset, ab ipsa in caelum repente evocatus est. Illius porro ac Sociorum festum pridie Idus Februarii celebratur.

Romae sancti Almachii Martyris, qui, cum diceret: "Hodie

Octavae Dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum et a sacrificiis pollutis," propterea, jubente Praefecto Urbis Alipio, a gladiatoribus occisus est.

Item Romae, via Appia, coronae sanctorum militum triginta Martyrum, sub Diocletiano Imperatore.

Apud Spoletum sancti Concordii, Presbyteri et Martyris; qui, temporibus Antonini Imperatoris, primo caesus fustibus, dehinc equuleo suspensus, ac postea maceratus in carcere, ibique Angelica visitatione confortatus, demum gladio vitam finivit.

Eodem die sancti Magni Martyris.

In Africa beati Fulgentii, Ruspensis Ecclesiae Episcopi, qui, tempore Wandalicae persecutionis, ob catholicam fidem eximiamque doctrinam, ab Arianis multa perpeusus et in Sardiniam relegatus est; atque tandem, ad propriam Ecclesiam redire permissus, vita et verbo clarus, sancto fine quievit.

Teate, in Aprutio citeriore, natalis sancti Justini, ejusdem civitatis Episcopi, sanctitate vitae ac miraculis clari.

In territorio Lugdunensi, monasterio Jurensium, sancti Eugendi Abbatis, cujus vita virtutibus et miraculis plena refulsit.

Apud Silviniacum, in Gallia, sancti Odilonis, Abbatis Cluniacensis, qui primus Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum, prima die post festum omnium

Sanctorum, in suis monasteriis fieri praecepit; quem ritum postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit.

Romae natalis sancti Vincentii Mariae Strambi, Episcopi Maceratensis et Tolentini, Congregationis a Cruce et Passione Jesu sodalis, pastorali zelo praeclari, quem Pius Papa Duodecimus inter Sanctos retulit.

Alexandriae depositio sanctae Euphrosynae Virginis, quae in monasterio virtute abstinentiae ac miraculis claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

**Sic semper terminatur Lectio Martyrologii.**

---

**2 Januarii**                      **Quarto Nonas Januarii.**                      **xxj. B**

Octava sancti Stephani Protomartyris.

Romae commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui, spreto Diocletiani Imperatoris edicto quo tradi sacri Codices jubebantur, potius corpora carnificibus quam sancta dare canibus maluerunt.

Antiochiae passio beati Isidori Episcopi.

Tomis, in Ponto, sanctorum fratrum Argei, Narcissi et Marcellini pueri. Hic, sub Licinio Principe, cum inter tirones esset comprehensus et nollet militare, hinc, caesus ad mortem ac diu maceratus in carcere, demum, in mare

demersus, martyrinm consummavit; ejus autem fratres gladio perempti sunt.

Mediolani sancti Martiniani Episcopi.

Nitriae, in Aegypto, beati Isidori, Episcopi et Confessoris.

Ipsa die sancti Siridionis Episcopi.

In Thebaide sancti Macarii Alexandrini, Presbyteri et Abbatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Januarii**

**Tertio Nonas Januarii.**

**vij. E**

Octava sancti Joannis, Apostoli et Evangelistae.

Romae, via Appia, natalis sancti Antheri, Papae et Martyris; qui sub Julio Maximino passus est, et in coemeterio Callisti sepultus.

Viennae, in Gallia, sancti Florentii Episcopi, qui, tempore Gallieni Imperatoris, in exsilium relegatus, illic martyrium consummavit.

Apud civitatem Aulanam, in Palaestina, passio sancti Petri, qui crucis supplicio interemptus est.

In Hellesponto sanctorum Martyrum Cyrini, Primi et



Theogenis.

Caesareae, in Cappadocia, sancti Gordii Centurionis, Martyris; de cujus laudibus exstat preclara Basilii Magni oratio, in ejus die festo habita.

In Cilicia sanctorum Martyrum Zosimi, et Athanasii Commentariensis.

Item sanctorum Theopempti et Theonae, qui, in persecutione Diocletiani, illustre martyrium obierunt.

Patavii sancti Danielis Martyris.

Lutetiae Parisiorum sanctae Genovefae Virginis, quae, a beato Germano, Antisiodorensi Episcopo, Christo dicata, admirandis virtutibus et miraculis claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Januarii**

**Pridie Nonas Januarii.**

**vij. F**

Octava sanctorum Innocentium Martyrum.

In Creta natalis sancti Titi, qui, ab Apostolo Paulo Episcopus Cretensium ordinatus, et, post pradicationis officium fidelissime consummatum, finem beatum adeptus, in ea sepultus est Ecclesia, ubi a beato Apostolo dignus minister fuerat constitutus. Ipsius tamen festivitas octavo Idus Februarii celebratur.

Romae sanctorum Martyrum Prisci Presbyteri, et Priscilliani Clerici, ac Benedictae, religiosae feminae; qui, tempore impiissimi Juliani, gladio martyrium compleverunt.

Item Romae beatae Dafrosae, uxoris sancti Flaviani Martyris, ac matris sanctarum Bibianae et Demetriae, Virginum et Martyrum; quae, post interfectionem viri sui, primum exsilio relegata, deinde, sub praefato Principe, capite plexa est.

Bononiae sanctorum Hermetis, Aggaei et Caji Martyrum, qui sub Maximiano Imperatore passi sunt.

Adrumeti, in Africa, commemoratio sancti Mavili Martyris, qui in persecutione Severi Imperatoris, a saevissimo Praeside Scapula damnatus ad bestias, martyrii coronam accepit.

Item in Africa praeclarissimorum Martyrum Aquilini, Gemini, Eugenii, Marciani, Quincti, Theodoti et Tryphonis.

Apud Lingonas, in Gallia, sancti Gregorii Episcopi, miraculis clari.

Rhemis, in Gallia, sancti Rigoberti, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Januarii**

**Nonis Januarii.**

**vij. G**

Vigilia Epiphaniae Domini.

Romae sancti Telesphori, Papae et Martyris; qui, sub Antonino Pio, post multos labores, pro Christi confessione, illustre martyrium duxit.

In Anglia natalis sancti Eduardi, Regis Anglorum et Confessoris; qui virtute castitatis et gratia miraculorum fuit insignis. Ejus autem festivitas, ex decreto Innocentii Papae Undecimi, tertio Idus Octobris, quo die sacrum ejus corpus translatum fuit, potissimum celebratur.

In Aegypto commemoratio pluriraorum sanctorum Martyrum, qui in Thebaide, sub persecutione Diocletiani, diverso tormentorum genere caesi sunt.

Antiochiae sancti Simeonis Monachi, qui, multos annos in columna stans vixit, unde et Stylitae cognomen accepit; cujus vita et conversatio exstitit admirabilis.

Romae sanctae Aemilianae Virginis, amitae sancti Gregorii Papae; quae, vocante Tharsilla sorore, quae ad Deum praecesserat, hac ipsa die migravit ad Dominum.

Alexandriae sanctae Syncleticae Virginis, cujus res praeclare gestas sanctus Athanasius monumentis litterarum commendavit.

In Aegypto sanctae Apollinaris Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Januarii**

**Octavo Idus Januarii.**

**vij. A**

Epiphania Domini.

Florentiae natalis sancti Andreae Corsini, civis Florentini, ex Ordine Carmelitarum, Episcopi Faesulani et Confessoris; quem, miraculis clarum, Urbanus Papa Octavus in Sanctorum numerum retulit. Ejus autem festivitas recolitur pridie Nonas Februarii.

Barcinone, in Hispania, item natalis sancti Raymundi de Penafort, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris, doctrina et sanctitate celebris. Ipsi vero festum decimo Kalendas Februarii celebratur.

In Africa commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui, in persecutione Severi, ad palum ligati sunt et igne consumpti.

In territorio Rhemensi passio sanctae Macrae Virginis, quae, in persecutione Diocletiani, jubente Rictiovaro Praeside, cum in ignem esset praecipitata et permansisset illaesa, dehinc, mamillis abscissis et squalore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas ac prunas volutata, tandem orans migravit ad Dominum.

Rhedonis, in Gallia, sancti Melanii, Episcopi et Confessoris; qui, post innumerabilium signa virtutum,

jugiter caelo intentus, gloriosus migravit a saeculo.

Geris, in Aegypto, sancti Nilammonis reclusi, qui, dum ad Episcopatum traheretur invitus, in oratione spiritum Deo reddidit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Januarii**

**Septimo Idus Januarii.**

**vij. B**

Relatio pueri Jesu de Aegypto.

Nicomediae natalis beati Luciani, Ecclesiae Antiochenae Presbyteri et Martyris; qui, satis clarus doctrina et eloquentia, passus est, ob Christi confessionem, in persecutione Galerii Maximiani, sepultusque est Helenopoli, in Bithynia. Ipsius autem laudes sanctus Joannes Chrysostomus celebravit.

Antiochiae sancti Cleri Diaconi, qui pro confessionis gloria, septies tortus ac diu maceratus in carcere, ad ultimum, gladio decollatus, martyrium consummavit.

In civitate Heraclea sanctorum Martyrum Felicis et Januarii.

Eodem die sancti Juliani Martyris.

In Dania sancti Canuti, Regis et Martyris.

Papiae sancti Crispini, Episcopi et Confessoris.

In Dacia sancti Nicetae Episcopi, qui feras et barbaras gentes, Evangelii praedicatione, mites reddidit ac mansuetas.

In Aegypto beati Theodori Monachi, qui, tempore Constantini Magni, floruit sanctitate; cujus meminit sanctus Athanasius in vita sancti Antonii.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Januarii**

**Sexto Idus Januarii.**

**vij. C**

Venetiis depositio sancti Laurentii Justiniani, primi Patriarchae urbis ejusdem et Confessoris; quem, doctrina et supernis divinae sapientiae charismatibus copiosissime repletum, Alexander Octavus, Pontifex Maximus, in Sanctorum numerum retulit. Ipsius autem festivitas Nonis Septembris, quo die Cathedram pontificalem ascendit, potissimum celebratur.

Bellovaci, in Galliis, sanctorum Martyrum Luciani Presbyteri, Maximiani et Juliani. Horum duo ultimi a persecutoribus gladio perempti sunt; beatus autem Lucianus, qui, una cum sancto Dionysio, in Galliam venerat, et ipse, post nimiam caedem, cum Christi nomen viva voce confiteri non timuisset, priorum sententiam excepit.

In Libya sanctorum Martyrum Theophili Diaconi, et

Helladii, qui, primo laniati ac testulis peracutis compuncti, demum, in ignem conjecti, animas Deo reddiderunt.

Augustoduni sancti Eugeniani Martyris.

Hierapoli, in Asia, sancti Apollinaris Episcopi, qui, sub Marco Antonino Vero, sanctitate atque doctrina floruit.

Neapoli, in Campania, natalis sancti Severini Episcopi, qui fuit frater beati Victorini Martyris; et, post multarum virtutum perpetrationem, plenus sanctitate quievit.

Metis, in Gallia, sancti Patientis Episcopi.

Papiae sancti Maximi, Episcopi et Confessoris.

Ratisbonae, in Bavaria, sancti Erhardi Episcopi.

Apud Noricos sancti Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium propagavit, et Noricorum dictus est Apostolus. Ejus corpus ad Lucullanum prope Neapolim, in Campania, divinitus delatum, inde postea ad monasterium sancti Severini translatum est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Januarii**

**Quinto Idus Januarii.**

**vij. D**

Antiochiae, sub Diocletiano et Maximiano, natalis sanctorum Juliani Martyris, et Basilissae Virginis, ipsius

Juliani uxoris. Haec, virginitate cum viro suo servata, in pace vitam finivit; Julianus vero (postquam multitudo Sacerdotum et Ministrorum Ecclesiae Christi, quae, propter immanitatem persecutionis, ad eos confugerat, igne cremata est), Marciani Praesidis jussu, plurimis tormentis cruciatus, capitalem sententiam accepit. Cum ipso etiam Antonius Presbyter, et Anastasius, quem idem Julianus, a morte suscitatum, gratiae Christi participem fecerat, et Celsus puer cum hujus matre Marcionilla, ac septem fratres, aliique plurimi passi sunt.

Smyrnae sanctorum Martyrum Vitalis, Revocati et Fortunati.

In Africa sanctorum Martyrum Epicteti, Jucundi, Secundi, Vitalis, Felicis et aliorum septem.

In Mauritania Caesariensi sanctae Marcianae Virginis, quae, bestiis tradita, martyrium consummavit.

Sebaste, in Armenia, sancti Petri Episcopi, filii sanctorum Basilii et Emmeliae, atque fratris item sanctorum Basilii Magni et Gregorii Nysseni Episcoporum, ac Macrinae Virginis.

Anconae sancti Marcellini Episcopi, qui urbem illam (ut sanctus Gregorius Papa scribit) divina virtute ab incendio liberavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.



---

**10 Januarii**

**Quarto Idus Januarii.**

**vij. E**

In Thebaide natalis beati Pauli, primi Eremitae, Confessoris, qui, a sextodecimo aetatis suae anno usque ad centesimum decimum tertium, solus in eremo permansit; cujus animam, inter Apostolorum et Prophetarum choros, ad caelum ferri ab Angelis sanctus Antonius vidit. Ejus autem festivitas decimo octavo Kalendas Februarii celebratur.

In Cypro beati Nicanoris, qui fuit unus de septem primis Diaconis; atque, gratia fidei et virtute admirandus, gloriosissime coronatus est.

Romae sancti Agathonis Papae, qui, sanctitate et doctrina conspicuus, quievit in pace.

Bituricis, in Aquitania, sancti Willhelmi, Episcopi et Confessoris, signis et virtutibus clari; quem Honorius Papa Tertius in Sanctorum canonem adscripsit.

Mediolani sancti Joannis Boni, Episcopi et Confessoris.

Constantinopoli sancti Marciani Presbyteri.

In monasterio Cuxanensi, in Gallia, natalis sancti Petri Urseoli Confessoris, qui, antea Venetiarum Dux et deinde Monachus ex Ordine sancti Benedicti, pietate et virtutibus claruit.

Aretii, in Tuscia, Beati Gregorii Decimi, civis Placentini,

qui, ex Archidiacono Leodiensi Summus Pontifex renuntiatus, Concilium Lugdunense secundum celebravit, Graecisque ad unitatem fidei receptis, compositis Christianorum dissidiis, Terrae Sanctae recuperatione instituta, de universali Ecclesia, quam sanctissime gubernavit, optime meritus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Januarii**

**Tertio Idus Januarii.**

**xiv. F**

Romae sancti Hygini, Papae et Martyris; qui, in persecutione Antonini, gloriose martyrium consummavit.

Item Romae natalis sancti Melchiadis, Papae et Martyris; qui multa, in persecutione Maximiani, passus est, atque, reddita Ecclesiae pace, quievit in Domino. Ipsius autem festivitas quarto Idus Decembris celebratur.

Firmi, in Piceno, sancti Alexandri, Episcopi et Martyris.

Ambiani, in Gallia, sancti Salvii, Episcopi et Martyris.

In Africa beati Salvii Martyris, in cujus natali sanctus Augustinus sermonem habuit ad populum Carthaginensem.

Alexandriae sanctorum Martyrum Petri, Severi et Leucii.

Brundusii sancti Leucii, Episcopi et Confessoris.

In Iudaea sancti Theodosii Coenobiarchae, in vico Cappadociae Magariasso nati; qui, multa passus pro fide catholica, in pace tandem quievit in eo monasterio, quod ille super solitarium Hierosolymitanae dioecesis montem exstruxerat.

In Thebaide sancti Palamonis Abbatis, qui fuit magister sancti Pachomii.

Suppentoniae, apud montem Soractem, sancti Anastasii Monachi, et Sociorum; qui, divinitus vocati, feliciter migraverunt ad Dominum.

Papia; sanctae Honoratae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Ianuarii**

**Pridie Idus Ianuarii.**

**xij. G**

Romae sanctae Tatianae Martyris, quae, sub Alexandro Imperatore, uncis atque pectinibus laniata, bestiis exposita et in ignem missa, sed nil laesa, demum, gladio percussa, migravit in caelum.

Constantinopoli sanctorum Tigrii Presbyteri, et Eutropii Lectoris; qui, Arcadii Imperatoris tempore, cum de incendio quo Ecclesia princeps et Senatus curia conflagraverant, tamquam per eos ad exilium sancti Joannis Chrysostomi ulciscendum excitato, per calumniam accusati essent, sub Praefecto urbis Optato, inanum deorum superstitione

implicito et Christianae religionis osore, passi sunt.

In Achaja sancti Satyri Martyris, qui cum ante quoddam idolum transiret, in illud exsufflavit, signans sibi frontem, atque statim idolum corruit; ob quam causam decollatus est.

Eodem die sancti Arcadii Martyris, genere et miraculis clari.

In Africa sanctorum Martyrum Zotici, Rogati, Modesti, Castuli, et coronae Militum quadraginta.

Tibure sancti Zotici Martyris.

Ephesi passio sanctorum quadraginta duorum Monachorum, qui ob cultum sanctarum Imaginum, sub Constantino Copronymo, saevissime cruciati, martyrium compleverunt.

Ravennae sancti Joannis, Episcopi et Confessoris.

Veronae sancti Probi Episcopi.

In Anglia sancti Benedicti, Abbatis et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Januarii**

**Idibus Januarii.**

**xij. A**

Octava Epiphaniae Domini.

Pictavis, in Gallia, natalis sancti Hilarii, Episcopi et Confessoris; qui, ob catholicam fidem, quam strenue propugnavit, quadriennio apud Phrygiam relegatus, ibi, inter alia miracula, mortuum suscitavit. Eum Pius Nonus, Pontifex Maximus, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit. Ipsius autem festum sequenti die celebratur.

Rhemis, in Gallia, item natalis sancti Remigii, Episcopi et Confessoris. Hic gentem Francorum convertit ad Christum, Clodoveo, ipsorum Rege, sacris baptismatis undis et fidei sacramentis initiato; et, cum annos plurimos in Episcopatu explesset, sanctitate et miraculorum gloria conspicuus, decessit e vita. Ejus vero festivitas Kalendis Octobris potissimum recolitur, quo die sacrum ipsius corpus translatum fuit.

Romae, via Lavicana, coronae sanctorum Militum quadraginta, quas ipsi, sub Gallieno Imperatore, pro verae fidei confessione percipere meruerunt.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Gumesindi Presbyteri, et Servidei Monachi.

In Sardinia sancti Potiti Martyris, qui, sub Antonino Imperatore et Gelasio Praeside, multa passus, demum gladio martyrium consecutus est.

Singidoni, in Mysia superiore, sanctorum Martyrum Hermylis et Stratonicis, qui, post saeva tormenta, sub Licinio Imperatore, in Istrum flumen demersi sunt.

Caesarae, in Cappadocia, sancti Leontii Episcopi, qui, sub Licinio, adversus Gentiles, et, sub Constantino, adversus Arianos plurimum decertavit.

Treviris sancti Agritii Episcopi.

In Versiaco monasterio, in Gallia, sancti Viventii Confessoris.

Amaseae, in Ponto, sanctae Glaphyrae Virginis.

Mediolani, in coenobio sanctas Marthae, Beatae Veronicae de Binasco Virginis, ex Ordine sancti Augustini.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Januarii** Decimo nono Kalendas Februarii. xj. B

Sancti Hilarii, Episcopi Pictaviensis, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; qui pridie hujus diei evolavit in caelum.

Nolae, in Campania, natalis sancti Felicis Presbyteri, qui (ut sanctus Paulinus Episcopus scribit), cum a persecutoribus post tormenta in carcerem missus esset, et cochleis ac testulis vinctus superpositus jaceret, nocte ab Angelo solutus atque eductus fuit; postmodum vero, cessante persecutione, ibidem, cum multos ad Christi fidem exemplo vitae ac doctrina convertisset, clarus miraculis quievit in pace.

In Iudaea sancti Malachiae Prophetae.

In monte Sina sanctorum triginta octo Monachorum, a Saracenis ob Christi fidem interfectorum.

In Rhaithi regione, in Aegypto, sanctorum quadraginta trium Monachorum, qui, pro Christiana religione, a Blemmiis occisi sunt.

Mediolani sancti Datii, Episcopi et Confessoris; cujus meminit beatus Gregorius Papa.

In Africa sancti Euphrasii Episcopi.

Neocaesareae, in Ponto, sanctae Macrinae, discipulae beati Gregorii Thaumaturgi, et aviae sancti Basilii, quae eundem Basilium educavit

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Ianuarii** **Decimo octavo Kalendas Februarii.**     **x. C**

Sancti Pauli, primi Eremitae, Confessoris, qui quarto Idus Ianuarii inter beatorum agmina translatus fuit.

In territorio Andegavensi beati Mauri Abbatis, qui fuit discipulus sancti Benedicti; et, hujus disciplinis usque ab infantia eruditus, quantum in eis profecerit, inter aiaa quae apud eum positus gessit (res nova et post Petrum fere inusitata), pedibus super aquas incedens patefecit. In

Gallias inde ab ipso Benedicto directus, ibi, constructo celebri monasterio, cui quadraginta annis praefuit, miraculorum gloria clarus, in pace quievit.

In Judaea sanctorum Habacuc et Michaeae Prophetarum, quorum corpora, sub Theodosio seniore, divina revelatione sunt reperta.

Carali, in Sardinia, sancti Ephesii Martyris, qui, in persecutione Diocletiani, sub Flaviano Judice, plurimis tormentis divina virtute superatis, demum, abscissis cervicibus, victor migravit in caelum.

Anagniae sanctae Secundinae, Virginis et Martyris; quae sub Decio Imperatore passa est.

Nolae, in Campania, sancti Maximi Episcopi.

Arvernus, in Gallia, sancti Boniti, Episcopi et Confessoris.

In Aegypto sancti Macarii Abbatis, qui fuit discipulus beati Antonii, ac vita et miraculis celeberrimus exstitit.

Alexandriae beati Isidori, sanctitate vitae, fide et miraculis clari.

Constantinopoli sancti Joannis Calybitae, qui aliquandiu in angulo domus paternae, deinde in tugurio, ignotus parentibus, habitavit; a quibus in morte agnitus, miraculis claruit. Ipsius corpus postea Romam translatum, et in Insulae Tiberinae Ecclesia, in ejus honorem erecta, collocatum est.



Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Ianuarii** Decimo septimo Kalendas Februarii. ix. D

Romae, via Salaria, natalis sancti Marcelli Primi, Papae et Martyris; qui, ob catholicae fidei confessionem, iubente Maxentio tyranno, primo caesus est fustibus, deinde ad servitium animalium cum custodia publica deputatus, et ibidem, serviendo indutus amictu cilicino, defunctus est.

Marrochii, in Africa, passio sanctorum quinque Protomartyrum Ordinis Minorum, scilicet Berardi, Petri atque Othonis Sacerdotum, Accursii et Adjuti Laicorum; qui, ob Christianae fidei praedicationem ac Mahumeticae reprobationem legis, post varia tormenta et ludibria, a Saracenorum Rege, scissis gladio capitibus, enecati sunt.

Rhinocoluras, in Aegypto, sancti Melae Episcopi, qui, sub Valente exsilium et alia gravia pro fide catholica passus, in pace quievit.

Arelate, in Gallia, sancti Honorati, Episcopi et Confessoris; cujus vita tam doctrina quam miraculis fuit illustris.

Opitergii, in Venetorum finibus, sancti Titiani, Episcopi et Confessoris.

Fundis, in Latio, sancti Honorati Abbatis, cujus meminit beatus Gregorius Papa.

In castro cui nomen Maceriae, ad Altejam fluvium, in Gallia, sancti Fursei Confessoris, cujus corpus ad monasterium Peronae postmodum translatum est.

Romae sanctae Priscillae, quae se suaque pio Martyrum obsequio mancipavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Januarii** **Sextodecimo Kalendas Februarii.** viij. E

In Thebaide sancti Antonii Abbatis, qui, multorum Monachorum Pater, vita et miraculis praeclarissimus vixit; cujus gesta sanctus Athanasius insigni volumine prosecutus est. Ejus autem sacrum corpus, sub Justiniano Imperatore, divina revelatione repertum et Alexandriam delatum, in Ecclesia sancti Joannis Baptistae humatum fuit.

Apud Lingonas, in Gallia, sanctorum tergemorum Speusippi, Eleusippi et Meleusippi; qui, cum avia sua Leonilla, martyrio coronati sunt, tempore Marci Aurelii Imperatoris.

Apud Bituricas, in Aquitania, depositio sancti Sulpicii Episcopi, cognomento Pii, cujus vita et mors pretiosa gloriosis miraculis commendatur.

Romae, in monasterio sancti Andreae, beatorum Monachorum Antonii, Meruli et Joannis, de quibus scribit sanctus Gregorius Papa.

In finibus Edessenae regionis, in Mesopotamia, sancti Juliani Eremitae, cognomento Sabae, qui, Valentis Imperatoris tempore, fidem catholicam, Antiochiae ferme collapsam, virtute miraculorum erexit.

Romae Inventio sanctorum Martyrum Diodori Presbyteri, Mariani Diaconi, et Sociorum, qui, sancto Stephano Papa Ecclesiam Dei regente, martyrium Kalendis Decembris sunt assecuti.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Januarii** **Quintodecimo Kalendas Februarii.** vij. F

Cathedra sancti Petri Apostoli, qua primum Romae sedit. Ibidem passio sanctae Priscae, Virginis et Martyris; quae sub Claudio Imperatore, post multa tormenta, martyrio coronata est.

In Ponto natalis sanctorum Martyrum Mosei et Ammonii, qui, cum essent milites, primo ad metalla damnati sunt, ac novissime igni traditi.

Ibidem sancti Athenogenis, antiqui Theologi, qui, per ignem consummaturus martyrium, hymnum laetus cecinit, quem et discipulis scriptum reliquit.

Turonis, in Gallia, sancti Volusiani Episcopi, qui, a Gothis captus, in exilio spiritum Deo reddidit.

In monasterio Lutrensi, in Burgundia, sancti Deicolae Abbatis, qui, natione Hibernus, discipulus fuit beati Columbani.

Turonis, in Gallia, sancti Leobardi reclusi, qui mira abstinentia et humilitate refulsit.

Novocomi sanctae Liberatae Virginis.

Budae, in Hungaria, sanctae Margaritae, Virginis, e regia Arpadensium familia, Ordinis sancti Dominici Monialis, virtute castitatis et arctissima pœnitentia insignis, quam Pius Duodecimus, Pontifex Maximus, sanctarum Virginum catalogo adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Januarii** **Quartodecimo Kalendas Februarii.** vj. G

Romae, via Cornelia, sanctorum Martyrum Marii et Marthae conjugum, et filiorum Audifacis et Abachum, nobilium Persarum; qui Romam, temporibus Claudii Principis, ad orationem venerant. Ex eis vero, post toleratos fustes, equuleum, ignes, ungues ferreos manuumque præcisionem, Martha in Nympha necata est; ceteri sunt decollati, et corpora eorum incensa.

Item sancti Canuti, Regis et Martyris.

Smyrnae natalis beati Germanici Martyris, qui, sub Marco Antonino et Lucio Aurelio, cum primaevae aetatis venustate floreret, damnatus a Judice, et, per gratiam virtutis Dei, metum corporeae fragilitatis excludens, praeparatam sibi bestiam sponte provocavit; cujus dentibus comminutus, vero pani Domino Jesu Christo, pro ipso moriens, meruit incorporari.

In Africa sanctorum Martyrum Pauli, Gerontii, Januarii, Saturnini, Successi, Julii, Cati, Pias et Germanae.

Apud Spoletum passio sancti Pontiani Martyris, qui, tempore Antonini Imperatoris, a Fabiano Judice, pro Christo vehementissime virgis caesus, jussus est super carbones nudis pedibus ambulare, sed a carbonibus nil laesus, equuleo et uncinis ferreis jussus est suspendi, et sic in carcerem trudi, ubi Angelica visitatione meruit confortari; postque leonibus expositus et plumbo ferventi perfusus, tandem gladio percussus est.

Laudae, in Insubria, sancti Bassiani, Episcopi et Confessoris, qui adversus haereticos, una cum sancto Ambrosio, strenue decertavit.

Wigorniae, in Anglia, sancti Wulstani, Episcopi et Confessoris, meritis et miraculis conspicui; qui ab Innocentio Papa Tertio inter Sanctos relatus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Januarii** Tertiodecimo Kalendas Februarii. v. A

Romae natalis sancti Fabiani, Papae et Martyris, qui, Decii tempore, martyrium passus est, atque in coemeterio Callisti sepultus.

Item Romae, ad Catacumbas, sancti Sebastiani Martyris, qui, Diocletiano Imperatore, cum haberet principatum primae cohortis, iussus est, sub titulo christianitatis, ligari in medio campo, et sagittari a militibus, atque ad ultimum fustibus caedi, donec deficeret.

Nicaeae, in Bithynia, sancti Neophyti Martyris, qui, quintumdecimum annum aetatis agens, flagris caesus, in fornacem immissus, feris objectus, et, cum illaesus permaneret et Christi fidem constanter profiteretur, gladio tandem occisus est.

Caesenaе sancti Mauri Episcopi, virtutibus et miraculis clari.

In Palaestina natalis sancti Euthymii Abbatis, qui zelo catholicae disciplinae et virtute miraculorum, tempore Marciani Imperatoris, in Ecclesia floruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Januarii** Duodecimo Kalendas Februarii. iv. B

Romae passio sanctae Agnetis, Virginis et Martyris; quae, sub Praefecto Urbis Symphronio, ignibus injecta, sed iis per orationem ejus extinctis, gladio percussa est. De ea beatus Hieronymus haec scribit: "Omnium gentium litteris atque linguis, praecipue in Ecclesiis, Agnetis vita laudata est; quae et aetatem vicit et tyrannum, et titulum castitatis martyrio consecravit."

Athenis natalis sancti Publii Episcopi, qui Atheniensium Ecclesiam, post sanctum Dionysium Areopagitam, nobiliter rexit; et, praeclarus virtutibus ac doctrinae laude praeulgens, ob Christi martyrium gloriose coronatur.

Tarracone, in Hispania, sanctorum Martyrum Fructuosi Episcopi, Augurii et Eulogii Diaconorum. Hi, tempore Gallieni, primo in carcerem trusi, deinde flammis injecti, et, exustis vinculis, manibus in modum crucis expansis orantes, martyrium compleverunt; in quorum die natali sanctus Augustinus sermonem ad populum habuit.

In monasterio Einsidlensi, apud Helvetios, sancti Meinradi, Presbyteri et Monachi; qui eodem in loco, ubi postea monasterium ipsum excrevit, eremiticae intentus vitae, a latronibus interfectus est. Ipsius vero beati viri corpus, olim in Augiensi Germaniae monasterio sepultum, ad Einsidlense monasterium deinde relatum fuit.

Trecis, in Gallia, sancti Patrocli Martyris, qui martyrii coronam sub Aureliano Imperatore promeruit.

Papiae sancti Epiphanii, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Januarii**    **Undecimo Kalendas Februarii.**    **ijj. C**

Valentiae, in Hispania Tarraconensi, sancti Vincentii, Levitae et Martyris; qui, sub impiissimo Praeside Daciano, carceres, famem, equuleum, distorsiones membrorum, laminas candentes, ferream cratem ignitam aliaque tormentorum genera perpressus, ad martyrii praemium evolavit in caelum; cujus passionis nobilem triumphum Prudentius luculenter versibus exsequitur, et beatus Augustinus ac sanctus Leo Papa summis laudibus commendant.

Apud Bethsaloen, in Assyria, sancti Anastasii Persae Monachi, qui, post plurima tormenta carceris, verberum et vinculorum, quae in Caesarea Palaestinae perpressus fuerat, a Persarum Rege Chosroa multis poenis affectus, ad ultimum decollatus est, cum prius septuaginta Socios, qui fuerant in fluenta demersi, ad martyrium praemisisset. Ejus caput Romam, ad Aquas Salvias, delatum est, una cum veneranda ejus imagine, cujus aspectu fugari daemones morbosque curari, Acta secundi Concilii Nicaeni testantur.

Ebreduni, in Galliis, sanctorum Martyrum Vincentii, Orontii et Victoris, qui martyrio in Diocletiani persecutione coronati sunt.

Novariae sancti Gaudentii, Episcopi et Confessoris.



Sorae sancti Dominici Abbatis, miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Januarii**                      **Decimo Kalendas Februarii. ij. D**

Sancti Raymundi de Penafort, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris, cujus dies natalis octavo Idus Januarii recolitur.

Romae sanctae Emerentianae, Virginis et Martyris; quae adhuc catechumena, dum oraret ad sepulcrum sanctae Agnetis, cujus fuerat collactanea, a Gentilibus lapidata est.

Philippis, in Macedonia, sancti Parmenae, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic, traditus gratiae Dei, injunctum sibi a fratribus officium praedicationis plena fide consummans, martyrii gloriam, sub Trajano, est adeptus.

Ancyrae, in Galatia, sancti Clementis Episcopi, qui, saepius cruciatus, tandem, sub Diocletiano Imperatore, martyrium consummavit.

Ibidem sancti Agathangeli, qui eodem die, sub Lucio Prseside, passus est.

Caesareae, in Mauritania, sanctorum Martyrum Severiani et Aquilae uxoris, ignibus combustorum.

Apud Antinoum, Aegypti urbem, sancti Asclae Martyris, qui, post diversa tormenta, pretiosam Deo animam, in flumen praecipitatus, reddidit.

Alexandriae sancti Joannis Eleemosynarii, ejusdem urbis Episcopi, misericordia in pauperes celeberrimi.

Toleti, in Hispania, sancti Ildefonsi Episcopi, qui, ob singularem vitae integritatem, susceptamque fidei defensionem adversus haereticos, sanctissimae Dei Genitricis virginitatem impugnantes, ab eadem Virgine Maria donatus est candidissima veste ac demum, sanctitate celebris, in caelum vocatus.

In Provincia Valeriae sancti Martyrii Monachi, cujus meminit beatus Gregorius Papa.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Januarii**

**Nono Kalendas Februarii. j. E**

Apud Ephesum sancti Timothei, qui fuit discipulus beati Pauli Apostoli; atque, ab eodem Ephesi ordinatus Episcopus, ibi post multos pro Christo agones, cum Dianae immolantes argueret, lapidibus obrutus est, ac paulo post obdormivit in Domino.

Antiochiae sancti Babilae Episcopi, qui, in persecutione Decii, postea quam frequenter passionibus suis ac cruciatibus glorificaverat Deum, gloriosae vitae finem

sortitus est in vinculis ferreis, cum quibus et suum corpus sepeliri mandavit. Referuntur etiam passi cum eo tres pueri, scilicet Urbanus, Prilidianus et Epolonius, quos ille in Christi fide instruxerat.

Fulginei, in Umbria, sancti Feliciani, qui, a sancto Victore Papa Primo Episcopus ejusdem civitatis ordinatus, illic, post multos labores, in ultima senectute, sub Decio Imperatore, martyrio coronatus est.

Neocaesareae, in Mauritania, sanctorum Martyrum Mardonii, Musonii, Eugenii et Metelli; qui omnes igni traditi sunt, et eorum reliquiae in flumen dispersae.

Item sanctorum Martyrum Thyrsi et Projecti.

Cinguli, in Piceno, sancti Exsuperantii Confessoris, ejusdem civitatis Episcopi, ob miraculorum famam illustris.

Bononiae sancti Zamae, qui, a sancto Dionysio, Romano Pontifice, primus ejusdem civitatis Episcopus ordinatus, illic Christianam fidem mirifice propagavit.

Item beati Surani Abbatis, qui, tempore Longobardorum, sanctitate floruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Januarii**

**Octavo Kalendas JFebruarii. \* . F**

Conversio sancti Pauli Apostoli, quae fuit anno secundo ab Ascensione Domini.

Apud Damascum natalis sancti Ananiae, qui fuit discipulus Domini, et eundem Paulum Apostolum baptizavit. Ipse autem, cum Damasci, et Eleutheropoli, alibique Evangelium praedicasset, tandem, sub Licinio Iudice, nervis caesus et laniatus, ac lapidibus oppressus, martyrium consummavit.

Arvernus, in Gallia, sanctorum Praejecti Episcopi, et Amarini, Abbatis Cloroangiensis, qui ambo a proceribus ejusdem urbis passi sunt.

Antiochiae sanctorum Martyrum Juventini et Maximi, qui, sub Juliano Apostata, martyrio coronati sunt; in quorum die natali sanctus Joannes Chrysostomus sermonem ad populum habuit.

Item sanctorum Martyrum Donati, Sabini et Agapis.

Tomis, in Scythia, sancti Britannionis Episcopi, qui mira sanctitate et catholicae fidei zelo, sub Ariano Imperatore Valente, cui fortiter restitit, in Ecclesia floruit.

Marcianis, in Gallia, sancti Popponis, Presbyteri et Abbatis, miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Januarii**

**Septimo Kalendas Februarii. xxix. G**

Sancti Polycarpi, Episcopi Smyrnensis et Martyris, qui martyrii coronam septimo Kalendas Martii consecutus est.

Hippone Regio, in Africa, sanctorum Theogenis Episcopi, et aliorum triginta sex, qui, in persecutione Valeriani, contemnentem temporalem mortem, coronam aeternae vitae adepti sunt.

Apud Bethlehem Judae dormitio sanctae Paulae Viduae, quae, cum esset e nobilissimo Senatorum genere, cum beata Virgine Christi Eustochio, filia sua, renuntians saeculo, facultates suas pauperibus distribuit, et ad Praesepe Domini se recepit; ibique, multis virtutibus praedita et longo coronata martyrio, ad caelestia regna transivit. Ipsius autem vitam, virtutibus admirandam, sanctus Hieronymus scripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Januarii**

**Sexto Kalendas Februarii. xxviij. A**

Sancti Joannis Chrysostomi, Episcopi Constantinopolitani, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, caelestis Oratorum sacrorum Patroni; qui decimo octavo Kalendas Octobris obdormivit in Domino. Ejiis sacrum corpus, sub Theodosio juniore, hac die Constantinopolim, inde postea Roman translatum fuit, et in Basilica Principis Apostolorum conditum.

Brixiae natalis sanctae Angelae Merici Virginis, ex tertio Ordine sancti Francisci, quae Societatem Virginum sanctae Ursulae instituit, quarum praecipuum munus esset dirigere adolescentulas in vias Domini. Ejus tamen festivitas, ex decreto Pii Papae Duodecimi, Kalendis Junii celebratur.

Apud Cenomanos, in Gallia, depositio sancti Juliani, ejusdem urbis primi Episcopi, quem sanctus Petrus illuc ad praedicandum Evangelium misit.

Sorae sancti Juliani Martyris, qui, in persecutione Antonini, sub Flaviano Prseside, comprehensus est, et, cum idolorum templum, dum ipse torqueretur, corruisset, martyrii coronam, truncato capite, accepit.

In Africa sancti Aviti Martyris.

Ibidem sanctorum Martyrum Datii, Reatri et Sociorum, qui in persecutione Wandalica passi sunt.

Item sanctorum Dativi, Juliani, Vincentii atque aliorum viginti septem Martyrum.

Romae sancti Vitaliani Papae.

In monasterio Bodacensi, in Gallia, sancti Mauri Abbatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Januarii**

**Quinto Kalendas Februarii. xxvij. B**

Sancti Petri Nolasci Confessoris, qui Ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum exstitit Fundator, et octavo Kalendas Januarii obdormivit in Domino.

Romæ sanctæ Agnetis, Virginis et Martyris, secundo.

Alexandriæ natalis sancti Cyrilli, ejusdem urbis Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris; qui, catholicæ fidei præclarissimus propugnator, doctrina et sanctitate illustris quievit in pace. Ejus tamen festivitas quinto Idus Februarii celebratur.

Romæ sancti Flaviani Martyris, qui sub Diocletiano passus est.

Alexandriæ passio plurimorum sanctorum Martyrum, qui, hac ipsa die, a factione Syriani, Ducis Ariani, dum in Ecclesia synaxim agerent, diverso mortis genere sunt interempti.

Apolloniæ sanctorum Martyrum Leucii, Thyrsi et Callinici; qui, tempore Decii Imperatoris, variis tormentorum generibus cruciati, ac primus et ultimus abscissione capitis, medius caelesti voce evocatus spiritum reddens, martyrium consummarunt.

In Thebaide sanctorum Martyrum Leonidæ et Sociorum, qui, tempore Diocletiani, palmam martyrii sunt assecuti.

Caesaraugustæ, in Hispania, sancti Valerii Episcopi.

Conchae, in Hispania, natalis sancti Juliani Episcopi, qui, erogans in pauperes bona Ecclesiae, opera manuum sibi more Apostolico victum quaerens, clarus miraculis quievit in pace.

In monasterio Reomaensi, in Gallia, depositio sancti Joannis Presbyteri, viri Deo devoti.

In Palaestina sancti Jacobi Eremitae, qui, post lapsum, diu, poenitentiae causa, in sepulcro latuit, et clarus miraculis migravit ad Dominum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Januarii**      **Quarto Kalendas Februarii.**    xxvj. C

Sancti Francisci Salesii, Episcopi Gebennensis, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, omnium Scriptorum catholicorum, diariis aliisque scriptis in vulgus edendis sapientiam Christianam illustrantium ac provehentium et tutantium, peculiaris apud Deum Patroni; qui migravit in caelum quinto Kalendas Januarii, sed hac die, ob Translationem corporis ejus, potissimum colitur.

Treviris depositio beati Valerii Episcopi, qui fuit discipulus sancti Petri Apostoli.

Romae, via Nomentana, natalis sanctorum Martyrum Papiae et Mauri militum, tempore Diocletiani Imperatoris;



quorum ora jussit Laodicius, Urbis Praefectus, ad primam Christi confessionem lapidibus contundi, et sic eos in carcerem trahi, ac postea fustibus caedi, atque ad ultimum plumbatis percuti, donec exspirarent.

Perusiae sancti Constantii, Episcopi et Martyris; qui, una cum Sociis, sub Marco Aurelio Imperatore, ob fidei defensionem, martyrii coronam accepit.

Mediolani sancti Aquilini Presbyteri, qui, ab Arianis gladio in gutture transfixus, martyrio coronatur.

Edessae, in Syria, sanctorum Martyrum Sarbelii et Barbeae sororis, qui, a beato Barsimaeo Episcopo baptizati, ambo, in persecutione Trajani, sub Lysia Praeside, martyrio coronati sunt.

In territorio Tricassino sancti Sabiniani Martyris, qui, jubente Aureliano Imperatore, pro fide Christi decollatus est.

Apud Bituricas, in Aquitania, sancti Sulpicii Severi Episcopi, virtutibus et eruditione conspicui.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Januarii**

**Tertio Kalendas Februarii. xxv. D**

Sanctae Martinae, Virginis et Martyris, cujus dies natalis

Kalendis Januarii recolitur.

Edessae, in Syria, sancti Barsimaei Episcopi, qui, cum Gentiles plurimos convertisset ad fidem et praemisisset ad coronam, eos secutus est, sub Trajano, cum palma martyrii.

Antiochiae passio beati Hippolyti Presbyteri, qui, deceptus aliquandiu schismate Novati, sed, operante gratia Christi, correctus, ad unitatem Ecclesiae rediit, pro qua et in qua postea illustre martyrium consummavit. Hic, rogatus a suis quatenam secta verior esset, exsecratus est dogma Novati, et, eam fidem dicens esse servandam quam Petri Cathedra custodiret, jugulum praebuit.

In Africa passio sanctorum Martyrum Feliciani, Philappiani et aliorum centum viginti quatuor.

Item beati Alexandri, qui, in persecutione Decii, comprehensus est, ac, longaevae aetatis veneranda canitie et confessione iterata resplendens, inter carnificum tormenta reddidit spiritum.

Edessae, in Syria, sancti Barsis Episcopi, dono curationum illustris; qui, a Valente, Imperatore Ariano, in dissitas regiones ob fidem catholicam relegatus, ac triplici mutatione fatigatus exsilii, vitam finivit.

Hierosolymis natalis sancti Matthiae Episcopi, de quo mira et plena fidei gesta narrantur; qui, sub Hadriano, multa pro Christo perpressus est, ac demum in pace quievit.

Papiae sancti Armentarii, Episcopi et Confessoris.

In Malbodio, Hannoniae monasterio, sanctae Aldegundis Virginis, tempore Dagoberti Regis.

Viterbii sanctae Hyacinthae de Mariscottis Virginis, ex tertio sancti Francisci Ordine Sanctimonialis, poenitentia et caritate insignis; quam Pius Papa Septimus Sanctis adscripsit.

Mediolani sanctae Savinae, feminae religiosissimae, quae, ad sepulcra sanctorum Naboris et Felicis Martyrum orans, obdormivit in Domino.

In territorio Parisiensi sanctae Bathildis Reginae, sanctitate et miraculorum gloria praeclarae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**31 Ianuarii**                      **Pridie Kalendas Februarii.**                      **xxiv. E**

Augustae Taurinorum sancti Joannis Bosco, Confessoris, Societatis Salesianae ac Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis Fundatoris, animarum zelo et fidei propagandae conspicui, quem Pius Papa Undecimus Sanctorum fastis adscripsit.

Romae, via Portuensi, sanctorum Martyrum Cyri et Joannis, qui, pro confessione Christi, post multa tormenta, capite truncati sunt.

Alexandriae natalis sancti Metrani Martyris, qui, sub Decio

Imperatore, cum ad jussionem Paganorum nollet impia verba proferre, hi totum ejus corpus fustibus colliserunt, vultumque et oculos praeacutis calamis terebrantes, cum cruciatibus expulerunt ipsum extra urbem, ibique lapidibus oppressum interemerunt.

Ibidem sanctorum Martyrum Saturnini, Thyrsi et Victoris.

Item Alexandriae sanctorum Martyrum Tharsicii, Zotici, Cyriaci et Sociorum.

Cyzici, in Hellesponto, sanctae Tryphaenae Martyris, quae, plurimis tormentis superatis, a tauro demum necata, martyrii palmam promeruit.

Mutinae sancti Geminiani Episcopi, miraculorum gloria conspicui.

In Provincia Mediolanensi sancti Julii, Presbyteri et Confessoris, tempore Imperatoris Theodosii.

Neapoli sancti Francisci Xaverii Mariae Bianchi, Confessoris, Clerici Regularis sancti Pauli, signis, donis caelestibus et admirabili patientia illustris, quem Pius Papa Duodecimus ad supremos honores Sanctorum extulit.

Romae sanctae Marcellae Viduae, cujus praeclaras laudes beatus Hieronymus scripsit.

Item Romae Beatae Ludovicae Albertoniae, Viduae Romanae, ex tertio Ordine sancti Francisci, virtutibus clarae.

Eodem die Translatio sancti Marci Evangelistae, cum sacrum ejus corpus ex Alexandria, a barbaris tunc occupata, Venetias allatum, ibidem in majori Ecclesia, ejus nomine consecrata, honorificentissime conditum fuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Februarii

**1 Februarii**

**Kalendis Februarii.**

**xxij. A**

Sancti Ignatii, Episcopi Antiocheni et Martyris, qui gloriose martyrium consummavit tertio decimo Kalendas Januarii.

Smyrnae sancti Pionii, Presbyteri et Martyris; qui, post apologias pro fide Christiana conscriptas, post squalorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrii tolerantiam suis exhortationibus roboravit, tandem, cruciatibus multis vexatus, clavis confixus et ardenti rogo superpositus, beatum pro Christo finem sortitus est. Cum ipso autem et alii quindecim passi siunt.

Ravennae sancti Severi Episcopi, qui, ob praeclara merita, signo columbae fuit electus.

In civitate Tricastina, in Gallia, sancti Pauli Episcopi, cujus vita virtutibus claruit, et mors pretiosa miraculis commendatur.

Apud Kildariam, in Hibernia, sanctae Brigidae Virginis, quae cum lignum altaris tetigisset in testimonium virginitatis suae, lignum ipsum statim viride factum est.

Apud Castrum Florentinum, in Etruria, beatae Viridianae, Virginis reclusae, ex Ordine Vallis Umbrosae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Februarii**                      **Quarto Nonas Februarii.**                      **xxj. B**

Purificatio beatæ Mariæ Virginis, quæ a Graecis Hypapante Dmini appellatur.

Caesareae, in Palaestina, sancti Cornelii Centurionis, quem beatus Petrus Apostolus baptizavit, et apud praefatam urbem Episcopali sublimavit honore.

Romæ, via Salaria, passio sancti Aproniani Commentariensis, qui, adhuc Gentilis, cum sanctum Sisinium e carcere educeret ut Laodicio Praefecto praesentaret, vocemque de caelo factam audiret: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi», credens baptizatur, et postea, in confessione Domini, vitae finem sententia capitali accepit.

Item Romæ sanctorum Martyrum Fortunatii Feliciani, Firmi et Candidi.

Aurelianis, in Gallia, sancti Flosculi Episcopi.

Cantuariae, in Anglia, natalis sancti Laurentii Episcopi, qui, post sanctum Augustinum, eam Ecclesiam gubernavit, et Regem ipsum ad fidem convertit.

Prati, in Etruria, sanctae Catharinae de Ricciis, Virginis Florentinae, ex Ordine Praedicatorum, ob caelestium donorum copiam insignis; quam Benedictus Decimus quartus, Pontifex Maximus, sanctarum Virginum fastis adscripsit.

Burdigalae sanctae Joannae de Lestonnac, Viduae, Instituti Filiarum beatae Virginis Mariae Fundatricis, caritatis studio ac puellarum instituendarum cura insignis, quam Pius Papa Duodecimus Sanctarum numero accensuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Februarii**

**Tertio Nonas Februarii.**

**vij. E**

Sebaste, in Armenia, passio sancti Blasii, Episcopi et Martyris; qui, multorum patrator miraculorum, sub Agricolao Praeside, post diutinam caesionem, atque in ligno suspensionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus diruptae sunt, post teterrimum carcerem et in lacum demersionem, unde salvus exivit, tandem, jubente eodem Judice, una cum duobus pueris, capite truncatur. Ante ipsum vero septem mulieres, quae guttas sanguinis, ex ejusdem Martyris corpore defluentes, dum torqueretur, colligebant, propterea, deprehensae quod essent Christianae, omnes, post dira tormenta, gladio percussae sunt.

In Africa sancti Celerini Diaconi, qui, decem et novem dies custodia carceris septus, in nervo et ferro variisque poenis gloriosus fuit Christi Confessor; et, dum inexpugnabili



firmitate certaminis sui vicit adversarium, vincendi ceteris viam fecit.

Ibidem sanctorum trium Martyrum, ipsius Celerini Diaconi consanguineorum, scilicet Laurentini patrum, Ignatii avunculi, et Celerinae aviae, qui antea martyrio coronati fuerant; de quorum omnium gloriosis laudibus exstat beati Cypriani epistola.

Item in Africa sanctorum Martyrum Felicis, Symphronii, Hippolyti et Sociorum.

In oppido Vapingo, in Gallia, sanctorum Tigidis et Remedii Episcoporum.

Lugduni, in Gallia, sanctorum Lupicini et Felicis, itidem Episcoporum.

Bremae sancti Anscharii, Hamburgensis ac postea Bremensis simul Episcopi, qui Suecos et Danos ad Christi fidem convertit, et a Gregorio Papa Quarto Legatus Apostolicus totius Septentrionis fuit institutus.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Februarii**

**Pridie Nonas Februarii.**

**vij. F**

Sancti Andreae Corsini, ex Ordine Carmelitarum, Episcopi Faesulani et Confessoris, cujus dies natalis agitur octavo Idus Januarii.

Romae sancti Eutychie Martyris, qui illustre martyrium consummavit, ac sepultus est in coemeterio Callisti; ejusque sepulcrum postea sanctus Damasus Papa versibus exornavit.

Thmui, in Aegypto, passio beati Phileae, ejusdem civitatis Episcopi, et Philoromi, Tribuni militum; qui, in persecutione Diocletiani, cum a cognatis et amicis suaderi non possent ut sibi parcerent, ambo, datis cervicibus, palmas a Domino meruerunt. Cum ipsis innumera etiam multitudo fidelium ex eadem urbe, pastoris sui vestigia sequens, martyrio coronata est.

Foro Sempronii sanctorum Martyrum Aquilini, Gemini, Gelasii, Magni et Donati.

In regno Maravensi, apud Indos Orientales, sancti Joannis de Britto, Sacerdotis e Societate Jesu, qui, cum multos infideles ad fidem convertisset, glorioso martyrio coronatus est.

Trecis, in Gallia, sancti Aventini, Presbyteri et Confessoris.

Pelusii, in Aegypto, sancti Isidori, Presbyteri et Monachi, meritis et doctrina conspicui.

Sempringhamiae, in Anglia, sancti Gilberti, Presbyteri et Confessoris, qui Ordinis Sempringhamiensis fuit Institutor.

In oppido Amatricis, in Aprutio, depositio sancti Josephi a Leonissa, Sacerdotis ex Ordine Minorum Capuccinorum et Confessoris; quem, ob fidei praedicationem a Mahumetanis

dira perpressum, laboribus apostolicis et miraculis clarum, Benedictus Decimus quartus, Pontifex Maximus, in Sanctorum canonem retulit.

Bremae commemoratio sancti Remberti, qui, sancti Ansharii discipulus, in ipsius locum, hac die, obitum magistri sui proxime subsequenti, olim Hamburgensis simul ac Bremensis Episcopus electus est.

Bituricis, in Aquitania, sanctae Joannae de Valois, Galliae Reginae, Ordinis sanctissimae Annuntiationis beatae Mariae Virginis Fundatricis, pietate et singulari Crucis participatione illustris, a Pio Papa Duodecimo Sanctarum fastis adscriptae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Februarii**

**Nonis Februarii.**

**vij. G**

Catanae, in Sicilia, natalis sanctae Agathae, Virginis et Martyris; quae, temporibus Decii Imperatoris, sub Quintiano Iudice, post alapas et carcerem, post equuleum et torsiones, post mamillarum abscissionem, post volutionem in testulis et carbonibus, tandem in carcere, Deum precans, consummata est.

Nangasachii, in Japonia, passio viginti sex Martyrum, e quibus tres Sacerdotes atque unus Clericus et duo Laici ad Ordinem Minorum, tres, et in eis unus quidem Clericus, ad Societatem Jesu, ac septemdecim ad tertium sancti

Francisci Ordinem revocantur. Hi omnes pro catholica fide, in crucem acti et lancearum ictibus perfossi, inter divinas laudes ejusdemque fidei praedicationem, gloriose occubuerunt; et a [Beato] Pio Nono, Pontifice Maximo, Sanctorum fastis adscripti sunt.

In Ponto commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, in persecutione Maximiani; quorum alii plumbo liquenti perfusi, alii acutis arundinibus in unguibus cruciati, ac multis horrendis vexati tormentis, iisdemque saepius iteratis, palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt.

Alexandriae sancti Isidori, militis et Martyris; qui, in persecutione Decii, a Numeriano, exercitus Duce, ob Christi fidem, capite caesus est.

Viennae beati Aviti, Episcopi et Confessoris, cujus fide, industria atque admirabili doctrina ab Arianae haeresis infestatione sunt Galliae defensae.

Sabione, in Rhaetia secunda, sancti Ingenuini Episcopi, cujus vita miraculis exstitit gloriosa. Sacrum vero ipsius corpus Brixinonem postea translatum fuit, ibique honorifice asservatum.

Brixinone sancti Albuini Episcopi, qui eam in civitatem e Sabione Cathedram Episcopalem transtulit, et ibidem, virtutum signis emicans, migravit ad Dominum,

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

Sancti Titi, Episcopi Cretensium et Confessoris, cujus dies natalis occurrit pridie Nonas Januarii.

Caesareae, in Cappadocia, natalis sanctae Dorotheae, Virginis et Martyris; quae, sub Saporicio, illius Provinciae Praeside, primum per equulei extensionem vexata, dehinc palmis diutissime caesa, capitali sententia ad ultimum punita est. In ejus confessione Theophilus quidam scholasticus ad Christi fidem conversus, et mox equuleo acerrime tortus, novissime gladio caesus est.

Emessae, in Phoenicia, sancti Silvani Episcopi, qui, cum eidem Ecclesiae annis quadraginta praefuisset, tandem, sub Maximiano Imperatore, una cum duobus aliis, objectus feris membratimque discerptus, martyrii palmam accepit.

Eodem die sanctorum Martyrum Saturnini, Theophili et Revocatae.

Arvernus, in Gallia, sancti Antholiani Martyris.

Atrebati, in Galliis, sancti Vedasti, ejusdem civitatis Episcopi, cujus vita et mors plurimis miraculis exstitit gloriosa.

Elnone, in Gallia, sancti Amandi, Episcopi Trajectensis, qui miraculis, cum vivus tum mortuus, gloriose refulsit; cujus nomine postmodum insignitum est oppidum, in quo ille monasterium extruxerat et mortalem vitam absolverat.

Bononiae sancti Guarini, Cardinalis et Episcopi Praenestini, vitae sanctitate conspicui.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Februarii**

**Septimo Idus Februarii.**

**vij. B**

Sancti Romualdi Abbatis, Monachorum Camaldulensium Patris, cujus dies natalis tertio decimo Kalendas Julii recensetur, sed festivitas hac die, ob Translationem corporis ejus, potissimum celebratur.

Augustae, cui nunc Londini nomen, in Britannia, natalis beati Auguli Episcopi, qui, aetatis cursu per martyrium expleto, aeterna praemia suscipere meruit.

In Phrygia sancti Aduaci Martyris, qui, ex Italico genere clarus, et omni fere dignitatum gradu ab Imperatoribus insignitus, tandem, cum adhuc Quaestoris officio fungeretur, martyrii corona pro fidei defensione dignatus est.

Ibidem plurimorum sanctorum Martyrum, urbis unius civium, quorum dux erat idem Aduacus; qui, cum omnes Christiani essent, et constanter in fidei confessione persisterent, a Galerio Maximiano Imperatore sunt igne consumpti.

Heracleae, in Ponto, sancti Theodori, ductoris militum, qui,

Licinio imperante, post multa tormenta, truncatus capite, victor migravit in caelum.

In Aegypto sancti Moysis, Episcopi venerabilis, qui primum in eremo vitam solitariam duxit; deinde, petente Regina Saracenorum Mauvia, Episcopus factus, gentem illam ferocissimam magna ex parte ad fidem convertit, et gloriosus meritis quievit in pace.

Lucae, in Tuscia, depositio sancti Richardi, Regis Anglorum, qui pater exstitit sancti Willebaldi, Eystettensis Episcopi, ac sanctae Walburgae Virginis.

Bononiae sanctae Julianae Viduae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Februarii**

**Sexto Idus Februarii.**

**vij. C**

Sancti Joannis de Matha, Presbyteri et Confessoris, qui Ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum fuit Institutor, et sextodecimo Kalendas Januarii obdormivit in Domino.

Somaschae, in territorio Bergomensi, natalis sancti Hieronymi Aemiliani Confessoris, qui Congregationis Somaschae Fundator exstitit; atque, pluribus in vita et post mortem miraculis illustris, a Clemente Decimo tertio, Pontifice Maximo, Sanctorum fastis adscriptus est, et a Pio Papa Undecimo universalis orphanorum ac derelictae

juventiitis Patronus apud Deum electus et declaratus. Ejus tamen festivitas tertio decimo Kalendas Augusti recolitur.

Romae sanctorum Martyrum Pauli, Lucii et Cyriaci.

In Armenia minore passio sanctorum Martyrum Dionysii, Emiliani et Sebastiani.

Constantinopoli natalis sanctorum Martyrum Monachorum monasterii Dii, qui, ob defensionem fidei catholicae, cum tulissent litteras sancti Felicis Papae Tertii adversus Acacium, dirissime caesi sunt.

In Perside commemoratio sanctorum Martyrum, qui, sub Rege Persarum Cabade, ob Christianam fidem, diversis suppliciis necati sunt.

Alexandriae passio sanctae Cointhae Martyris, quam Pagani, sub Decio Imperatore, correptam et ad idola perductam, haec adorare cogebant; quod cum illa exsecrans recusaret, ipsius pedes vinculis innexuerunt, eamque, trahentes sic vinctam per civitatis plateas, horrendo supplicio discerpserunt.

Papiae sancti Juventii Episcopi, qui strenue in Evangelio laboravit.

Mediolani depositio sancti Honorati, Episcopi et Confessoris.

Viroduni, in Gallia, sancti Pauli Episcopi, miraculorum dono illustris.



Apud Muretum, in agro Lemovicensi, natalis sancti Stephani Abbatis, qui Grandimontensis Ordinis Inceptor fuit, ac virtutibus et miraculis claruit.

In monasterio Vallis Umbrosae Beati Petri, Cardinalis et Episcopi Albanensis, ex Ordine Vallis Umbrosae, cognomento Ignei, quia per ignem illsesus transivit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Februarii**

**Quinto Idus Februarii.**

**vij. D**

Sancti Cyrilli, Episcopi Alexandrini, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, cujus dies natalis quinto Kalendas Februarii recensetur.

Alexandrias natalis sanctae Apolloniae, Virginis et Martyris, cui persecutores, sub Decio, dentes omnes primum excusserunt. Deinde, constructo ac succenso rogo, iidem comminati sunt, nisi cum eis impia verba proferret, vivam se eam incensuros; at illa, cum paululum intra semetipsam deliberasset, repente se de manibus impiorum proripuit, et in ignem, quem paraverant, maiore Sancti Spiritus flamma intus sestuans, sponte ita prosilivit, ut perterrerentur etiam ipsi crudelitatis auctores, quod promptior inventa esset ad mortem femina quam persecutor ad poenam.

Romae passio sanctorum Martyrum Alexandri et aliorum triginta octo coronatorum.

In castello Lemelensi, in Africa, sanctorum Martyrum Primi et Donati Diaconorum, qui, cum altare in Ecclesia tutarentur, a Donatistis occisi sunt.

Solis, in Cypro, sanctorum Martyrum Ammonii et Alexandri.

Antiochiae sancti Nicephori Martyris, qui sub Valeriano Imperatore, capite caesus, martyrii coronam accepit.

In monasterio Fontanellae, in Gallia, sancti Ansberti, Rotomagensis Episcopi.

Canusii, in Apulia, sancti Sabini, Episcopi et Confessoris; qui (ut beatus Gregorius Papa refert), prophetia; spiritu ac miraculorum dono praeditus, sibi jam caeco exhibitum a famulo, praemiis corrupto, veneni poculum divino agnovit instinctu, sed, praenuntiata mox a Deo sumenda de corruptore vindicta signoque Crucis facto, venenum securus ebibit ac nullum ex eo nocumentum accepit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Februarii**

**Quarto Idus Februarii.**

**vij. E**

Apud montem Cassinum sanctae Scholasticae Virginis, sororis sancti Benedicti Abbatis, qui ejus animam, instar columbae, migrantem e corpore in caelum ascendere vidit.

Romae sanctorum Martyrum Zotici, Irenaei, Hyacinthi et Amantii.

Ibidem, via Lavicana, sanctorum decem militum Martyrum.

Item Romae, via Appia, sanctae Soteris, Virginis et Martyris; quae (ut scribit sanctus Ambrosius), nobili genere nata, parentum Consulatus et Praefecturas ob Christum contempsit. Haec, jussa idolis immolare, et non acquiescens, graviter et diutissime alapis caesa est; et, cum cetera quoque poenarum genera vicisset, demum, percussa gladio, laeta migravit ad Sponsum.

In Campania sancti Silvani, Episcopi et Confessoris.

In Stabulo Rhodis, in territorio Senensi, sancti Guilielmi Eremitae.

In pago Rotomagensi sanctae Austrebertae Virginis, miraculis celebris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Februarii**

**Tertio Idus Februarii.**

**xiv. F**

Lapardi, in Gallia, Apparitio beatae Mariae Virginis Immaculatae.

Hadrianopoli, in Thracia, sanctorum Martyrum Lucii Episcopi, et Sociorum ejus, sub Constantio. Ipse Lucius, ab

Arianis multa perpressus, in vinculis martyrium consummavit; ceteri vero nobiliores civium, cum Arianos, in Sardicensi Concilio tunc damnatos, recipere nolissent, a Philagrio Comite capitalem sententiam exceperunt.

In Africa natalis sanctorum Martyrum Saturnini Presbyteri, Dativi, Felicis, Ampelii et Sociorum, qui, in persecutione Diocletiani, cum ad Dominicum ex more celebrandum convenissent, idcirco, a militibus comprehensi, sub Anolino Proconsule passi sunt.

In Numidia commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui in eadem persecutione comprehensi sunt, et, cum juxta Imperatoris edictum divinas Scripturas tradere nolissent, gravissimis excruciiati sunt suppliciis, ac tandem occisi.

Romae sancti Gregorii Papae Secundi, qui Leonis Isaurici impietati acerrime restitit, et sanctum Bonifatium ad praedicandum Evangelium in Germaniam misit.

Item Romae sancti Paschalis Papae Primi, qui plurima sanctorum Martyrum corpora levavit e cryptis, eaque in diversis Urbis Ecclesiis honorifice collocavit.

Ravenna: sancti Caloceri, Episcopi et Confessoris.

Mediolani sancti Lazari Episcopi.

Capuae sancti Castrensis Episcopi.

In Castro Nantoniensi, in Gallia, sancti Severini, qui fuit Abbas monasterii Agaunensis, suisque precibus cultorem

Dei, Regem Clodoveum, a diutina infirmitate liberavit.

In Aegypto sancti Jonae Monachi, virtutibus clari.

Viennae, in Gallia, Translatio corporis sancti Desiderii, Episcopi et Martyris, ex territorio Lugdunensi, in quo ipse olim passus fuerat decimo Kalendas Junii.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Februarii**

**Pridie Idus Februarii.**

**xij. G**

Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, Confessorum, quorum depositio respectivis diebus recolitur. Quos autem in vita unus verae fraternitatis spiritus sociavit, et indivisa post obitum veneratio populi prosecuta est, eos Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus, una pariter Sanctorum fastis accensuit.

In Africa sancti Damiani, militis et Martyris.

Carthagine sanctorum Martyrum Modesti et Juliani.

Alexandriae sanctorum Martyrum Modesti et Ammonii infantum.

Barcinone, in Hispania, sanctae Eulaliae Virginis, quae, tempore Diocletiani Imperatoris, equuleum, ungulas flammisque perpessa, demum, cruci affixa, gloriosam martyrii coronam accepit.

Constantinopoli sancti Meletii, Episcopi Antiocheni, qui, pro fide catholica saepe exsilium passus, demum in eadem urbe migravit ad Dominum. Ejus virtutes sanctus Joannes Chrysostomus et sanctus Gregorius Nyssenus summis laudibus celebrarunt.

Item Constantinopoli sancti Antonii Episcopi, tempore Leonis sexti Imperatoris.

Veronae sancti Gaudentii, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Februarii**

**Idibus Februarii.**

**xij. A**

Antiochiae natalis sancti Agabi Prophetae, de quo beatus Lucas in Actibus Apostolicis scribit.

Tuderti, in Umbria, sancti Benigni, Presbyteri et Martyris; qui, Diocletiani et Maximiani Imperatorum tempore, cum fidem Christianam verbo et exemplo propagare non desisteret, ab idolorum cultoribus captus est, ac, variis affectus suppliciis, sacerdotale munus honore martyrii cumulavit.

Melitinae, in Armenia, sancti Polyucti Martyris, qui, in persecutione Decii, multa passus, martyrii coronam adeptus est.

Lugduni, in Gallia, sancti Juliani Martyris.

Ravennae sanctarum Fuscae Virginis, ejusque nutricis Maurae, quae, Decio imperante, multa sub Quinctiano Praeside perpressae, demum gladio transfixae, martyrium consummarunt.

Lugduni, in Gallia, sancti Stephani, Episcopi et Confessoris.

Reate sancti Stephani Abbatis, mirae patientiae viri; in cujus transitu (ut refert beatus Gregorius Papa) sancti Angeli, ceteris etiam videntibus, adfuerunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Februarii**     **Sextodecimo Kalendas Martii.**    **xj. B**

Romae, via Flaminia, natalis sancti Valentini, Presbyteri et Martyris, qui, post multa sanitarum et doctrinae insignia, fustibus caesus et decollatus est, sub Claudio Csesare.

Ibidem depositio sancti Cyrilli, Episcopi et Confessoris; qui, una cum sancto Methodio, similiter Episcopo et fratre suo, cujus dies natalis octavo Idus Aprilis recensetur, multas Slavicis gentes earumque Reges ad fidem Christi perduxit. Horum tamen Sanctorum festivitas Nonis Julii celebratur.

Item Romae sanctorum Martyrum Vitalis, Feliculae et

Zenonis.

Interamnae sancti Valentini, Episcopi et Martyris, qui, post diutinam caedem mancipatus custodiae, et, cum superari non posset, tandem, mediae noctis silentio ejectus de carcere, decollatus est, jussu Praefecti urbis Placidi.

Alexandriae sanctorum Martyrum Cyrionis Presbyteri, Bassiani Lectoris, Agathonis Exorcistae, et Moysis; qui omnes, igne combusti, evolaverunt ad caelum.

Interamnae sanctorum Proculi, Ephebi et Apollonii Martyrum, qui, cum ad sancti Valentini corpus vigiliis agerent, Leontii Consularis jussu comprehensi sunt, et gladio caesi.

Alexandriae sanctorum Martyrum Bassi, Antonii et Protolici, qui demersi sunt in mare.

Item Alexandriae sanctorum Dionysii et Ammonii decollatorum.

Neapoli, in Campania, sancti Nostriani Episcopi, qui in catholica fide contra haereticam pravitatem tuenda exstitit insignis.

Ravennae sancti Eleuchadii, Episcopi et Confessoris.

In Bithynia sancti Auxentii Abbatis.

Apud Surrentum sancti Antonini Abbatis, qui e monasterio Cassinensi, a Longobardis devastato, in solitudinem



ejusdem urbis secessit; ibique, sanctitate celebris, obdormivit in Domino. Ipsius corpus multis quotidie miraculis, et praesertim in energumenis liberandis, effulget.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Februarii** Quintodecimo Kalendas Martii. x. C

Brixiae natalis sanctorum Martyrum Faustini et Jovitae fratrum, qui sub Hadriano Imperatore, post multa praeclara ob Christi fidem suscepta certamina, victricem martyrii coronam acceperunt.

Romae sancti Cratonis Martyris, qui, cum uxore sua et universa domo a beato Valentino Episcopo baptizatus, non multo post, una cum illis, martyrio consummatus est.

Interamnae natalis sanctorum Martyrum Saturnini, Castuli, Magni et Lucii.

Ibidem sanctae Agapis, Virginis et Martyris.

Vasione, in Galliis, sancti Quinidii Episcopi, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam miracula crebra testantur.

Capuae sancti Decorosi, Episcopi et Confessoris.

In Provincia Valeriae sancti Severi Presbyteri, qui (ut beatus Gregorius Papa scribit), fuis lacrimis, defunctum revocavit ad vitam.

Antiochiae sancti Iosephi Diaconi.

Arvernīs, in Gallia, sanctae Georgiae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Februarii**     **Quartodecimo Kalendas Martii. ix. D**

Romae beati Onesimi, de quo sanctus Paulus Apostolus ad Philemonem scribit; quem etiam, post sanctum Timotheum, Ephesiorum Episcopum ordinavit, praedicationisque verbum illi commisit. Ipse autem Onesimus, vinctus Romam perductus ac pro fide Christi lapidatus, primo ibidem sepultus fuit; inde ad locum ubi Episcopus fuerat ordinatus, corpus ejus delatum est.

In Aegypto sancti Iuliani Martyris, cum aliis quinque millibus.

Caesareae, in Palaestina, sanctorum Martyrum Aegyptiorum Eliae, Jeremiae, Isaiae, Samuelis et Danielis; qui, cum spontanee ministrassent Confessoribus in Cilicia ad metalla damnatis, et inde reverterentur, sunt comprehensi, et a Firmiliano Praeside, sub Galerio Maximiano Imperatore, saevissime torti, gladio demum percussi sunt. Post eos sanctus Porphyrius, Pamphili Martyris famulus, et sanctus Seleucus Cappadox, qui iteratis certaminibus saepe vicerant, rursus cruciati sunt, atque alter incendio, gladio alter coronam martyrii acceperunt.

Nicomediae sanctae Julianae, Virginis et Martyris; quae, sub Maximiano Imperatore, primum a patre suo Africano graviter cesa, deinde ab Evilasio Prsfecto, cui niibere recusaverat, varie cruciata, et postmodum in carcerem detrusa, ubi palam cum diabolo conflixit, demum, cum flammam ignium et ollam ferventem superasset, capitis decollatione martyrium consummavit. Ipsius autem corpus postea Cumas, in Campania, translatum est.

Brixias sancti Faustini, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Februarii**     **Tertiodecimo Kalendas Martii. viij. E**

Florentiae natalis sancti Alexii Falconerii Confessoris, e septem Fundatoribus Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis; qui, decimo supra centesimum vitae suae anno, Christi Jesu et Angelorum praesentia recreatus, beato fine quievit. Ipsius tamen ac Sociorum festum pridie Idus Februarii celebratur.

Romae passio sancti Faustini, quem alii quadraginta quatuor secuti sunt ad coronam.

In Perside natalis beati Polychronii, Episcopi Babylonis, qui, in persecutione Decii, ore lapidibus caeso, manibus extensis, ad caelum oculos elevans, emisit spiritum.

Concordiae, in Venetorum finibus, sanctorum Martyrum

Donati, Secundiani et Romuli, cum aliis octoginta sex, ejusdem coronae consortibus.

Caesareae, in Palaestina, sancti Theoduli senis, qui, cum esset ex familia Praesidis Firmiliani, et, Martyrum excitatus exemplo Christum constanter confiteretur, martyrii palmam, cruci affixus, nobili triumpho promeruit.

Ibidem sancti Juliani Cappadocis, qui, exosculatus necatorum Martyrum corpora, et ideo ut Christianus delatus et ad Praesidem ductus, lento igne jussus est comburi.

In pago Tarvanensi, in Gallia, sancti Silvini, Episcopi Tolosani.

In monasterio Cluain-ednechensi, in Hibernia, sancti Fintani, Presbyteri et Abbatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Februarii**      **Duodecimo Kalendas Martii. vij. F**

Hierosolymis natalis sancti Simeonis, Episcopi et Martyris; qui filius Cleophae et propinquus Salvatoris secundum carnem fuisse traditur. Hic, Hierosolymorum Episcopus post Jacobum, fratrem Domini, ordinatus, et, in Trajani persecutione, multis suppliciis affectus, martyrio consummatus est, omnibus qui aderant et Judice ipso mirantibus ut centum viginti annorum senex fortiter constanterque supplicium crucis pertulisset.

Apud Ostia Tiberina sanctorum Martyrum Maximi et Claudii fratrum, et Praepedignae, uxoris Claudii, cum duobus filiis Alexandro et Cutia; qui, cum essent praeclarissimi generis, omnes, iubente Diocletiano, tenti atque in exilium deportati sunt, ac deinde, incendio concremati, Deo ipsi odoriferum martyrii sacrificium obtulerunt. Eorum reliquiae, in flumen projectae et a Christianis perquisitae, juxta eandem civitatem sepultae sunt.

In Africa sanctorum Martyrum Lucii, Silvani, Rutuli, Classici, Secundini, Fructuli et Maximi.

Constantinopoli sancti Flaviani Episcopi, qui, cum fidem catholicam Ephesi propugnaret, ab impii Dioscori factione pugnis et calcibus percussus est, et, in exilium actus, ibidem post triduum vitam finivit.

Toleti, in Hispania, sancti Helladii, Episcopi et Confessoris, qui a sancto Ildefonso, Toletano Episcopo, multis laudibus celebratur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Februarii**      **Undecimo Kalendas Martii.**    **vj. G**

Romae natalis sancti Gabini, Presbyteri et Martyris, qui fuit frater beati Caji Papae, atque, a Diocletiano diu in custodia vinculis afflictus, pretiosa morte sibi caeli gaudia

comparavit.

In Africa sanctorum Martyrum Publii, Juliani, Marcelli et aliorum.

In Palaestina commemoratio sanctorum Monachorum, et aliorum Martyrum, qui a Saracenis, sub Duce Alamundaro, ob Christi fidem, saevissime caesi sunt.

Neapoli, in Campania, sancti Quod-vult-Deus, Carthaginensis Episcopi, qui, una cum Clero, a Rege Ariano Genserico in fractas et absque remigiis ac velis naves impositus, praeter spem Neapolim appulit, ibique, in exsilio positus, Confessor occubuit.

Hierosolymis sancti Zambdae Episcopi.

Solis, in Cypro, sancti Auxibii Episcopi.

Apud Beneventum sancti Barbatii Episcopi, qui, sanctitate celebris, Longobardos et eorum Ducem convertit ad Christum.

Mediolani sancti Mansueti, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Februarii**

**Decimo Kalendas Martii.**

**v. A**

Tyri, in Phoenicia, commemoratio beatorum Martyrum, quorum numerum solius scientia Dei colligit. Hi omnes, sub

Diocletiano Imperatore, a Veturio, militum magistro, multis tormentorum generibus, sibi invicem succedentibus, occisi sunt; nam, primo quidem flagris toto corpore dilaniati, inde diversis bestiarum generibus traditi, sed ab illis divina virtute nil laesi, post, addita feritate ignis ac ferri, martyrium consummarunt. Eorum vero gloriosam multitudinem ad victoriam incitabant Episcopi Tyrannio, Silvanus, Peleus et Nilus, ac Presbyter Zenobius, qui, felici agone, una cum illis, martyrii palmam adepti sunt.

Constantinopoli sancti Eleutherii, Episcopi et Martyris.

In Perside natalis sancti Eleutherii, Episcopi, et aliorum centum viginti octo; qui, sub Rege Persarum Sapore, cum Solem adorare renuissent, crudeli nece praeclaras sibi coronas compararunt.

In Cypro sanctorum Martyrum Potamii et Nemesii.

Catanae, in Sicilia, sancti Leonis Episcopi, qui virtutibus atque miraculis coruscavit.

Eodem die sancti Eucherii, Aurelianensis Episcopi, qui eo magis miraculis claruit, quo pluribus invidorum calumniis fuit oppressus.

Tornaci, in Galliis, sancti Eleutherii, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Februarii**

**Nono Kalendas Martiii.**

**iv. B**

Scythopoli, in Palaestina, sancti Severiani, Episcopi et Martyris, qui, Eutychianis acerrime se opponens, gladio peremptus est.

In Sicilia natalis sanctorum Martyrum septuaginta novem, qui sub Diocletiano, per diversa tormenta, confessionis suae coronam percipere meruerunt.

Adrumeti, in Africa, sanctorum Martyrum Veruli, Secundini, Siricii, Felicis, Servuli, Saturnini, Fortunati et aliorum sexdecim, qui in persecutione Wandalica, ob catholicae fidei confessionem, martyrio coronati sunt.

Damasci sancti Petri Mavimeni, qui, cum diceret Arabibus quibusdam, ad se aegrotum venientibus: "Omnis qui fidem Christianam catholicam non amplectitur, damnatus est, sicut et Mahumet, pseudopropheta vester," ab illis est necatus.

Metis, in Gallia, sancti Felicis Episcopi.

Brixiae sancti Paterii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Februarii**

**Octavo Kalendas Martii.**

**iiij. C**



Antiochiae Cathedra sancti Petri Apostoli, ubi primum discipuli cognominati sunt Christiani.

Faventiae, in Aemilia, natalis sancti Petri Damiani, Cardinalis atque Episcopi Ostiensis et Confessoris, ex Ordine Camaldulensi, doctrina et sanctitate celebris, quem Leo Papa Duodecimus Doctorem universalis Ecclesiae declaravit. Ipsius autem festum sequenti die celebratur.

Salaminae, in Cypro, sancti Aristionis, qui (ut mox memorandum Papias testatur) fuit unus de septuaginta duobus Christi discipulis.

Hierapoli, in Phrygia, beati Papiae, ejusdem civitatis Episcopi, qui sancti Joannis Senioris auditor, Polycarpi autem sodalis fuit.

In Arabia commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui, sub Galerio Maximiano Imperatore, saevissime caesi sunt.

Alexandriae sancti Abilii Episcopi, qui, secundus post beatum Marcum, factus ejusdem civitatis Episcopus, sacerdotium virtute conspicuus ministravit.

Viennae, in Gallia, sancti Paschasii Episcopi, eruditione et morum sanctitate praeclari.

Ravennae sancti Maximiani, Episcopi et Confessoris.

Cortonae, in Tuscia, sanctae Margaritae, ex tertio Ordine sancti Francisci; quae admirabili poenitentia et uberrimis

lacrimis maculas anteactae vitae indesinenter abstersit. Ipsius corpus, mirabiliter incorruptum, suavem spirans odorem et crebris miraculis clarum, ibidem magno cum honore colitur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Februarii**      **Septimo Kalendas Februarii. ij. D**

**In anno Bissextili omittitur:** Vigilia sancti Matthiae Apostoli; **quia transfertur in sequentem diem, quae est 24.**

Vigilia sancti Matthiae Apostoli.

Sancti Petri Damiani, ex Ordine Camaldulensi, Cardinalis et Episcopi Ostiensis, Confessoris et Ecclesia; Doctoris, qui evolavit in caelum pridie hujus diei.

Smyrnae natalis sancti Polycarpi, qui, beati Joannis Apostoli discipulus, et ab eo ejusdem civitatis Episcopus ordinatus, totius Asiae Princeps fuit. Postea, sub Marco Antonino et Lucio Aurelio Commodus, sedente Proconsule et universo populo in theatro adversus eum personante, igni traditus est; et, cum ab igne minime laederetur, martyrii coronam, gladio confossus, accepit. Cum illo etiam alii duodecim, qui ex Philadelphia venerant, in eadem Smyrnensi urbe, martyrio consummati sunt. Ipsius tamen Polycarpi festum septimo Kalendas Februarii celebratur.

Apud Sirmium beati Sireni, Monachi et Martyris, qui,

jubente Maximiano Imperatore, retentus est, et, cum se Christianum esse confiteretur, capite obruncatus.

Ibidem natalis sanctorum septuaginta duorum Martyrum, qui, martyrii certamen in praefata urbe consummantes, mansura perceperunt regna.

In civitate Asturicensi, in Hispania, sanctae Marthae, Virginis et Martyris, quae, sub Decio Imperatore et Paterno Proconsule, dire ob Christi fidem est cruciata et gladio tandem occisa.

Constantinopoli sancti Lazari Monachi, qui, cum sacras Imagines pingeret, idcirco, Imperatoris Iconoclastae Theophili jussu, diris suppliciis excruciat, et ei manus candenti ferro comburitur; sed, Dei virtute sanatus, abrasas Imagines sanctas pingendo restituit, ac demum in pace quievit.

Brixiae sancti Felicis Episcopi.

Romae sancti Polycarpi Presbyteri, qui, cum beato Sebastiano, plurimos ad Christi fidem convertit, atque ad martyrii gloriam exhortando perduxit.

Hispali, in Hispania, sancti Florentii Confessoris.

Tuderti, in Umbria, sancta; Romanae Virginis, quae, a sancto Silvestro Papa baptizata, in antris et speluncis caelestem vitam duxit, et miraculorum gloria claruit.

In Anglia sanctae Milburgis Virginis, filiae Regis Merciorum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**In anno Bissextili bis pronuntiatur** Sexto Kalendas Martii, et eadem Luna, scilicet die 24 et 25.

**Prima die, id est 24, hoc modo:** Sexto Kalendas Martii. Luna..., quota fuerit. **Deinde:** Vigilia sancti Matthiae Apostoli.

**Secunda die, id est 25:** Sexto Kalendas Martii. Luna... In Judaea..., et cetera, ut in sequenti Lectione.

---

**24 Februarii**      **Sexto Kalendas Martii.**      **j. E**

**24 aut 25 in anno Bissextili.**

In Judaea natalis sancti Matthiae Apostoli, qui, post Ascensionem Domini ab Apostolis in Judae proditoris locum sorte electus, pro Evangelii praedicatione martyrium passus est.

Romae sanctae Primitivae Martyris.

Rotomagi passio sancti Praetextati, Episcopi et Martyris.

---

Caesareae, in Cappadocia, sancti Sergii Martyris, cujus gesta praeclara habentur.

In Africa sanctorum Martyrum Montani, Lucii, Juliani, Victorici, Flaviani et Sociorum, qui discipuli fuerunt sancti Cypriani, et, sub Valeriano Imperatore, martyrium consummarunt.

Treviris sancti Modesti, Episcopi et Confessoris.

Apud Stylum, in Calabria, sancti Joannis, cognomento Theristi, monasticae vitae laude et sanctitate insignis,

In Anglia sancti Edilberti, Regis Cantiorum, quem sanctus Augustinus, Anglorum Episcopus, ad Christi fidem convertit.

Hierosolymis prima Inventio capitis sancti Joannis Baptistae Praecursoris Domini.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Februarii**

**Quinto Kalendas Martii.**

**\*. F**

In Aegypto natalis sanctorum Martyrum Victorini, Victoris, Nicephori, Claudiani, Dioscori, Serapionis et Papias, sub Numeriano Imperatore. Horum duo primi, pro confessione fidei, exquisita suppliciorum genera constanter passi, capite plectuntur; Nicephorus, post craticulas candentes ignesque

superatos, minutatim concisus est; Claudianus et Dioscorus flammis incensi; Serapion vero et Papias gladio caesi sunt.

In Africa sanctorum Martyrum Donati, Justi, Herenae et Sociorum.

Constantinopoli sancti Tharasio Episcopi, eruditione et pietate insignis; ad quem exstat Hadriani Papae Primi epistola pro defensione sanctarum Imaginum.

Nazianzi, in Cappadocia, sancti Caesarii, qui beatae Nonnae filius ac beatorum Gregorii Theologi et Gorgoniae fuit frater, et quem idem Gregorius inter agmina beatorum se vidisse testatur.

In monasterio Heidenhemii, dioecesis Eystettensis, in Germania, sanctae Walburgae Virginis, quae fuit filia sancti Richardi, Anglorum Regis, et soror sancti Willebaldi, Eystettensis Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Februarii**

**Quarto Kalendas Martii.**

**xxix. G**

Perge, in Pamphylia, natalis beati Nestoris Episcopi, qui, in persecutione Decii, cum diu noctuque orationi insisteret postulans ut grex Christi custodiretur, comprehensus est, ac, nomen Domini mira libertate et alacritate confessus, Praesidis Pollionis jussu equuleo saevissime est cruciatus; ac demum, cum se Christo semper adhaesurum constanter

profiteretur, crucis suspendio victor in caelum migravit.

Ibidem passio sanctorum Papiae, Diodori, Cononis et Claudiani, qui sanctum Nestorem martyrio praecesserunt.  
Item sanctorum Martyrum Fortunati, Felicis et aliorum viginti septem.

Alexandriae sancti Alexandri Episcopi, gloriosi senis, qui, post beatum Petrum, ejusdem civitatis Episcopum, zelo fidei succensus, Arium, Presbyterum suum, haeretica impietate depravatum et divina veritate convictum, de Ecclesia ejecit; ac postea, inter trecentos decem et octo Patres, in Nicaeno Concilio eundem damnavit.

Bononiae sancti Faustini Episcopi, qui eam Ecclesiam, Diocletiani persecutione vexatam, verbo praedicationis firmavit et auxit.

Gazae, in Palaestina, sancti Porphyrii Episcopi, qui, tempore Arcadii Imperatoris, Marnam idolum ejusque templum evertit, ac, multa passus, quievit in Domino.

Florentiae sancti Andreae, Episcopi et Confessoris.

In territorio Archiacensi, in Gallia, sancti Victoris Confessoris, cujus laudes sanctus Bernardus conscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Februarii**

**Tertio Kalendas Martii.**

**xxviij. A**

Insulae, in Aprutio, sancti Gabrielis a Virgine Perdolente, Clerici Congregationis a Cruce et Passione Domini nuncupatae, et Confessoris; qui, magnis intra breve vitae spatium meritis et post mortem miraculis clarus, a Benedicto Papa Decimo quinto in Sanctorum canonem relatus est.

Romae natalis sanctorum Martyrum Alexandri, Abundii, Antigoni et Fortunati.

Alexandriae passio sancti Juliani Martyris, qui, cum ita podagra constrictus esset, ut neque incedere neque stare posset, una cum duobus famulis, qui eum in sella gestabant, Judici offertur; quorum alter fidem negavit, alter, nomine Eunus, cum domino suo perduravit in confessione Christi. Ipse porro Julianus et Eunus, camelis impositi, per totam urbem circumduci jubentur, et flagris laniari, ac tandem, incenso rogo, hinc inde spectante populo, comburi.

Ibfdem sancti Besae militis, qui, cum insultantes in praedictos Martyres cohiberet, delatus est ad Judicem, et, pro fide constanter agens, capite truncatus.

Hispali, in Hispania, natalis sancti Leandri, ejusdem civitatis Episcopi, qui, sanctorum Isidori Episcopi ac Florentinae Virginis frater, sua praedicatione et industria gentem Visigothorum, adjuvante Reccaredo, eorum Rege, ab Ariana impietate ad catholicam fidem convertit.

Constantinopoli sanctorum Confessorum Basilii et Procopii, qui, tempore Leonis Imperatoris, pro cultu sanctorum



Imaginum strenue decertarunt.

Lugduni, in Gallia, sancti Baldomeri Subdiaconi, viri Deo devoti, cujus sepulcrum crebris miraculis illustratur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Februarii**      **Pridie Kalendas Martiii.**      **xxvij. B**

Romae natalis sanctorum Martyrum Macarii, Rufini, Justi et Theophili.

Alexandriae passio sanctorum Caerealis, Pupuli, Caji et Serapionis.

Ibidem commemoratio sanctorum Presbyterorum, Diaconorum et aliorum plurimorum; qui, tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis saevissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem oppetiere, et quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.

Romae sancti Hilari, Papae et Confessoris.

In territorio Lugdunensi, locis Jurensibus, depositio sancti Romani Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam duxit, et, multis virtutibus ac miraculis clarus, plurimorum postea Pater exstitit Monachorum.

Papiae Translatio corporis sancti Augustini Episcopi,

Confessoris et Ecclesiae Doctoris, ex Sardinia insula, opera  
Luitprandi, Regis Longobardorum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et  
Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Martii

**1 Martii**

**Kalendis Martii.**

**xxij. A**

Romae sanctorum Martyrum ducentorum sexaginta, quos jussit primo Claudius, pro Christi nomine damnatos, extra portam Salariam arenam fodere, deinde in amphitheatro sagittis militum interfici.

Item natalis sanctorum Martyrum Leonis, Donati, Abundantii, Nicephori et aliorum novem.

Massiliae, in Gallia, sanctorum Martyrum Hermetis et Hadriani.

Heliopoli, apud Libanum, sanctae Eudociae Martyris, quae, in persecutione Trajani, a Theodoto Episcopo baptizata et ad certamen munita, ibidem, Vincentii Praesidis jussu percussa gladio, martyrii coronam accepit.

Eodem die sanctae Antoninae Martyris, quae in persecutione Diocletiani, cum Gentilium deos irrisisset, ideo, post varios cruciatus, in vase quodam inclusa, in paludem urbis Cae demersa est.

Romae natalis sancti Felicis Papae Tertii, qui sancti Gregorii Magni atavus fuit; qui etiam (ut ipse Gregorius refert), sanctae Tharsillae nepti apparens, illam ad caelestia

regna vocavit.

Apud civitatem Werdam sancti Suitberti Episcopi, qui, tempore sancti Sergii Papae Primi, apud Frisones, Batavos et alios Germaniae populos Evangelium praedicavit.

Andegavi, in Gallia, sancti Albini, Episcopi et Confessoris, viri praeclarissimae virtutis et sanctitatis.

Apud Cenomanos, in Gallia, sancti Siviardi Abbatis.

Perusiae Translatio sancti Herculani, Episcopi et Martyris, qui jussu Totilae, Gothorum Regis, decollatus est. Ipsius autem corpus ita capiti unitum atque sanum, quadragesimo post abscissionem die (ut scribit sanctus Gregorius Papa), repertum est, ac si nulla ferri incisio illud tetigisset.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Martii**

**Sexto Nonas Martii.**

**xxj. B**

Romae, via Latina, sanctorum Martyrum Jovini et Basilei, qui passi sunt sub Valeriano et Gallieno Imperatoribus.

Item Romae plurimorum sanctorum Martyrum, qui sub Alexandro Imperatore et Ulpiano Praefecto, diu cruciati, ad extremum capitali sententia damnati sunt.

Caesareae, in Cappadocia, sanctorum Martyrum Lucii Episcopi, Absalonis et Lorgii.

In Portu Romano sanctorum Martyrum Pauli, Heraclii, Secundillae et Ianuariæ.

In Campania commemoratio sanctorum octoginta Martyrum, qui, cum nolent carnes immolatas comedere nec caput caprae adorare, a Longobardis saevissime caesi sunt.

Lichfeldiae, in Anglia, sancti Ceaddae, Episcopi Merciorum et Lindisfarnorum, cujus praeclaras virtutes sanctus Beda Venerabilis commemorat.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Martii**

**Quinto Nonas Martii.**

**vij. E**

Caesareae, in Palaestina, sanctorum Martyrum Marini militis, et Asterii Senatoris, in persecutione Valeriani. Horum prior, cum accusatus esset a commilitonibus ut Christianus, et, interrogatus a Iudice, se Christianum esse voce clarissima testaretur, martyrii coronam abscissione capitis accepit; cumque Asterius corpus Martyris, capite truncatum, subjectis humeris et substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem quem Martyri detulit, continuo et ipse Martyr accepit.

Calagurri, in Hispania, natalis sanctorum Martyrum Hemiterii et Cheledonii fratrum, qui, cum apud Legionem, Gallaeciae urbem, in castris militarent, ambo, exurgente persecutionis procella, pro confessione nominis Christi,

Calagurrim usque profecti, ibi, pluribus tormentis afflicti, martyrio coronati sunt.

Eodem die passio sanctorum Felicis, Lucioli, Fortunati, Marciae et Sociorum.

Item sanctorum militum Cleonici, Eutropii et Basilisci, qui, in persecutione Maximiani, sub Asclepiade Praeside, crucis supplicio feliciter triumpharunt

Brixiae sancti Titiani, Episcopi et Confessoris.

Bambergae sanctae Cunegundis Augustae, quae, sancto Henrico Primo, Romanorum Imperatori, nupta, perpetuam virginitatem, ipso annuente, servavit; ac, bonorum operum meritis cumulata, sancto fine quievit, et post obitum miraculis claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Martii**

**Quarto Nonas Martii.**

**vij. F**

Vilnae, in Lithuania, beati Casimiri Confessoris, e Casimiro Rege progeniti: quem Leo Decimus, Romanus Pontifex, in Sanctorum numerum retulit.

Romae, via Appia, natalis sancti Lucii Primi, Papae et Martyris; qui, primo in persecutione Valeriani ob Christi fidem exsilio relegatus, et postmodum divino nutu ad Ecclesiam suam redire permissus, tandem, cum plurimum

adversus Novatianos laborasset, capitis obtruncatione martyrium complevit. Eum vero sanctus Cyprianus summis laudibus celebravit.

Nicomediae sancti Hadriani Martyris, cum aliis viginti tribus, qui omnes, sub Diocletiano Imperatore, martyrium crurifragio consummarunt. Eorum reliquiae, a Christianis Byzantium delatae, reverenti honore sepultae fuerunt; inde postea sancti Hadriani corpus Romam translatum fuit sexto Idus Septembris, quo die festivitas ejus potissimum celebratur.

Romae, via Appia, sanctorum Martyrum nongentorum, qui positi sunt in coemeterio ad sanctam Caeciliam.

Apud Chersonesum passio sanctorum Episcoporum Basili, Eugenii, Agathodori, Elpidii, Aetherii, Capitonis, Ephraem, Nestoris et Arcadii.

Eodem die sancti Caji Palatini, in mare demersi, et aliorum viginti septem.

Item passio sanctorum Archelai, Cyrilli et Photii.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Martii**

**Tertio Nonas Martii.**

**vij. G**

Antiochiae natalis sancti Phocae Martyris, qui, post multas, quas pro nomine Redemptoris passus est, injurias, qualiter

de antiquo illo serpente triumphaverit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur, quod, si quispiam a serpente morsus fuerit, hic, ut januam Basilicae Martyris credens attigerit, confestim, evacuata veneni virtute, sanatur.

Caesareae, in Palaestina, sancti Hadriani Martyris, qui in persecutione Diocletiani Imperatoris, jussu Firmiliani Praesidis, prius ob Christi fidem leoni objectus, deinde gladio jugulatus, martyrii coronam accepit.

Eodem die passio sanctorum Eusebii Palatini, et aliorum novem Martyrum.

Caesareae, in Palaestina, sancti Theophili Episcopi, qui sub Severo Principe, sapientia et vitae integritate conspicuus, emicuit.

Ad ripam Jordanis, item in Palaestina, sancti Gerasimi, Anachoretae et Abbatis, qui tempore Zenonis Imperatoris floruit.

Neapoli, in Campania, depositio sancti Joannis-Josephi a Cruce, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, qui, sanctorum Francisci Assisiensis et Petri de Alcantara studia aemulatus, Ordini Seraphico insigne decus addidit, atque a Gregorio Papa Decimo sexto in Sanctorum canonem est relatus.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---



**6 Martii**

**Pridie Nonas Martii.**

**vij. A**

Sanctarum Perpetuae et Felicitatis Martyrum, quae sequenti die gloriosam martyrii coronam a Domino receperunt.

Dertonae sancti Marciani, Episcopi et Martyris, qui, sub Trajano, pro Christi gloria occisus, coronatur.

Nicomediae natalis sanctorum Martyrum Victoris et Victorini, qui, per triennium, cum Claudiano et uxore ejus Bassa, tormentis multis afflicti et retrusi in carcerem, ibidem vitae suae cursum impleverunt.

In Cypro sancti Cononis Martyris, qui, sub Decio Imperatore, clavis confixus pedes et ante currum jussus currere, in genua procubuit, atque in oratione reddidit spiritum.

In Syria passio sanctorum quadraginta duorum Martyrum, qui, in Amorio comprehensi et illuc perducti, ibi, egregio peracto certamine, victores palmam martyrii perceperunt.

Constantinopoli sancti Evagrii, qui, tempore Valentis a Catholicis electus Episcopus, et ab eodem Imperatore in exsilium missus, Confessor migravit ad Dominum.

Bononiae sancti Basili Episcopi, qui, a sancto Silvestro Papa ordinatus, verbo et exemplo creditam sibi Ecclesiam sanctissime gubernavit.

Barcinone, in Hispania, beati Ollegarii, primum Canonici, et postea Episcopi Barcinonensis, et Archiepiscopi

Tarraconensis.

Viterbii beatae Rosae Virginis, ex tertio Ordine sancti Francisci.

Apud Gandavum, in Flandria, sanctae Coletae Virginis, quae, primum tertii Ordinis Franciscalis regulam professa, deinde, divino Spiritu afflata, quamplura Monialium secundi ejusdem Ordinis monasteria primaevae restituit disciplinae; atque, divinis exornata virtutibus et innumeris clara miraculis, a Pio Septimo, Pontifice Maximo, in albo Sanctorum adscripta est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Martii**

**Nonis Martii.**

**vij. B**

In monasterio Fossae Novas, prope Tarracinam, in Campania, sancti Thomae Aquinatis, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, ex Ordine Praedicatorum, nobilitate generis, vitae sanctitate et Theologiae scientia illustrissimi; quem Leo Papa Decimus tertius caelestem Scholarum omnium catholicarum Patronum declaravit.

Carthagine natalis sanctarum Perpetuae et Felicitatis Martyrum; e quibus Felicitas, cum esset praegnans (ut sanctus Augustinus ait), juxta leges expectata ut pareret, dum parturiebat, dolebat, objecta feris gaudebat. Passi quoque sunt cum eis Satyrus, Saturninus, Revocatus et Secundulus; quorum ultimus quievit in carcere, reliqui

omnes a variis bestiis sunt vexati, ac demum gladiatorum ictibus confecti, sub Severo Principe. Sanctarum vero Perpetuae et Felicitatis festum pridie hujus diei recolitur.

Caesareae, in Palaestina, passio sancti Eubuli, qui fuit socius sancti Hadriani, atque, biduo post illum, laniatus a leonibus et gladio trucidatus, martyrii coronam, ultimus omnium in ea civitate, accepit.

Nicomediae sancti Theophili Episcopi, qui, ob cultum sanctarum Imaginum in exsilium pulsus, illic defunctus est.

Pelusii, in Aegypto, sancti Pauli Episcopi, qui, eadem ob causam, exsul occubuit.

Brixiae sancti Gaudiosi, Episcopi et Confessoris.

In Thebaide sancti Pauli, cognomento Simplicis.

Florentiae, in Etruria, sanctae Teresiae Margaritae Redi, Virginis, Ordinis Carmelitarum Excalceatarum, vitae puritate ac simplicitate admirabilis, quam Pius Papa Undecimus, sanctarum Virginum albo adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Martii**

**Octavo Idus Martii.**

**vij. C**

Granatae, in Hispania, sancti Joannis de Deo Confessoris,

qui Ordinis Fratrum Hospitalitatis infirmorum fuit Institutor, ac misericordia in pauperes et sui despectu exstitit insignis; quem Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus, caelestem omnium hospitalium et infirmorum Patronum renuntiavit.

Nicomediae sancti Quinctilis, Episcopi et Martyris.

In Africa sanctorum Martyrum Cyrilli Episcopi, Rogati, Felicis, item Rogati, Beatae, Hereniae, Felicitatis, Urbani, Silvani et Mamilli.

Apud Antinoum, Aegypti urbem, natalis sanctorum Martyrum Apollonii Diaconi, et Philemonis; qui, tenti et ad Judicem adducti, et, cum sacrificare idolis constanter renuissent, ambo, perforatis calcaneis, per civitatem horribiliter tracti, ac novissime, gladio caesi, martyrium compleverunt.

Ibidem passio sanctorum Ariani Prsesidis, Theotici et aliorum trium, quos Judex submersos in mare necavit, sed delphinorum obsequio corpora eorum ad littus delata sunt.

Carthagine sancti Pontii, qui fuit Diaconus beati Cypriani Episcopi, et, usque ad diem mortis illius sustinens cum ipso exsilium, vitae et passionis ejus egregium volumen reliquit, atque, in suis passionibus Dominum semper glorificans, coronam vitae promeruit.

Toleti, in Hispania, depositio beati Juliani, Episcopi et Confessoris, sanctitate et doctrina celeberrimi.

In Anglia sancti Felicis Episcopi, qui orientales Anglos ad fidem convertit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Martii**

**Septimo Idus Martii.**

**vij. D**

Romae sanctae Franciscae Viduae, nobilitate generis, vitae sanctitate et miraculorum dono celebris.

Apud Sebasten, in Armenia, natalis sanctorum quadraginta militum Cappadocum, qui, tempore Licinii Imperatoris, sub Prseside Agricolao, post vincula et carceres teterrimos, post caesas lapidibus facies, nudi sub dio, frigidissimo hiemis tempore, supra stagnum rigens pernoctare jussi sunt, ubi gelu constricta eorum corpora disrumpebantur, ac demum crurifragio martyrium consummarunt. Erant autem inter eos nobiliores Cyrion et Candidus; eorumque omnium praeclaras glorias sanctus Basilius aliique Patres scriptis suis celebrarunt. Ipsorum porro Martyrum festivitas sequenti die recolitur.

Nyssae depositio sancti Gregorii Episcopi, qui sanctorum Basilio et Emmeliae filius, et sanctorum item Basilio Magni ac Petri Sebastensis Episcoporum et Macrinae Virginis frater exstitit; atque, vita et eruditione clarissimus, ob fidei catholicae defensionem, sub Ariano Imperatore Valente, civitate sua pulsus est.

Barcinone, in Hispania, sancti Paciani Episcopi, tam vita quam sermone conspicui; qui, tempore Theodosii Principis, in ultima senectute finem vitae sortitus est.

Bononiae sanctae Catharinae Virginis, e secundo Ordine sancti Francisci, quae vitae sanctitate fuit illustris. Ipsius autem corpus magno cum honore ibidem colitur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Martii**

**Sexto Idus Martii.**

**vij. E**

Sanctorum Quadraginta Martyrum, quorum natalis pridie hujus diei recensetur.

Apameae, in Phrygia, natalis sanctorum Martyrum Caji et Alexandri, qui (ut scribit Apollinaris, Hierapolitanus Episcopus, in libro adversus Cataphrygas haereticos), in persecutione Marci Antonini et Lucii Veri, glorioso martyrio coronati sunt.

In Perside passio sanctorum quadraginta duorum Martyrum.

Corinthetae sanctorum Martyrum Codrati, Dionysii, Cypriani, Anecti, Pauli et Crescentis, qui, in persecutione Decii et Valeriani, sub Jasone Praeside, gladio caesi sunt.

In Africa sancti Victoris Martyris, in cujus solemnitate sanctus Augustinus ad populum de ipso tractatum habuit.

Romae sancti Simplicii, Papae et Confessoris.

Hierosolymis sancti Macarii, Episcopi et Confessoris; cujus hortatu loca sancta a Constantino Magno et beata Helena, ejus matre, expurgata sunt et sacris Basilicis illustrata.

Lutetiae Parisiorum depositio sancti Droctovei Abbatis, qui fuit discipulus beati Germani Episcopi.

In monasterio Bobiensi sancti Attalae Abbatis, miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Martii**

**Quinto Idus Martii.**

**xiv. F**

Sardis sancti Euthymii Episcopi, qui, ob cultum sanctarum Imaginum, a Michaeli, Imperatore Iconoclasta, in exilium missus est; ac demum, Theophilo imperante, bubulis nervis inhumaniter caesus, martyrium consummavit.

Cordubae, in Hispania, sancti Eulogii, Presbyteri et Martyris; qui, in persecutione Saracenorum, ob praeclaram et intrepidam Christi confessionem, verberibus et alapis caesus ac decollatus gladio, adjungi ejusdem urbis Martyribus meruit, quorum pro fide certamina scribendo fuerat aemulatus.

Carthagine sanctorum Martyrum Heraclii et Zosimi.

Alexandriae passio sanctorum Candidi, Piperionis et aliorum viginti.

Laodiceae, in Syria, sanctorum Martyrum Trophimi et Thali, qui in persecutione Diocletiani, post multa saevaque tormenta, coronas gloriae sunt assecuti.

Antiochiae commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, quorum alii, Maximiani Imperatoris mandato, candentibus craticulis superpositi, non ad mortem sed ad diuturnum cruciatum assati, alii aliis saevissimis affecti supplicii, ad palmam martyrii pervenerunt.

Item sanctorum Martyrum Gorgonii et Firmi.

Hierosolymis sancti Sophronii Episcopi.

Mediolani sancti Benedicti Episcopi.

In finibus Ambianensium sancti Firmini Abbatis.

Carthagine sancti Constantini Confessoris.

Babuci, in Hemicis, sancti Petri Confessoris, miraculorum gloria conspicui.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Martii**

**Quarto Idus Martii.**

**xij. G**



Romae sancti Gregorii Primi, Papae, Confessoris et Ecclesiae Doctoris eximii; qui, ob res praeclare gestas atque Anglos ad Christi fidem conversos, Magnus est dictus et Anglorum Apostolus appellatus.

Ibidem depositio sancti Innocentii Primi, Papae et Confessoris. Ipsius autem festum quinto Kalendas Augusti celebratur.

Item Romae sancti Mamiliani Martyris.

Nicomediae sanctorum Egduni Presbyteri, et aliorum septem, qui singuli diebus singulis suffocati sunt, ut ceteris metus incuteretur.

Ibidem passio sancti Petri Martyris, qui, cum esset cubicularius Diocletiani Imperatoris, et liberius de immensis Martyrum suppliciis quereretur, propterea, jubente eodem, in medium adducitur, ac primo suspensus, diutissime flagris torquetur, deinde aceto ac sale perfusus, ad ultimum in craticula lento igne assatur, sicque vere Petri exstitit et fidei heres et nominis.

Constantinopoli sancti Theophanis, qui, ex ditissimo pauper Monachus effectus, ab impio Leone Armeno, pro cultu sacrarum Imaginum, biennio detentus est in carcere, et inde in Samothraciam deportatus, ibidem, aerumnis confectus, reddidit spiritum, multisque miraculis claruit.

Capuae sancti Bernardi, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Martii**

**Tertio Idus Martii.**

**xij. A**

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Ruderici Presbyteri, et Salomonis.

Nicomediae natalis sanctorum Martyrum Macedonii, Patriciae uxoris, et Modestae filiae.

Nicaeae, in Bithynia, sanctorum Martyrum Theusetae, ejusque filii Horris, Theodoraе, Nymphodoraе, Marci et Arabiae; qui omnes pro Christo igni traditi sunt.

Hermopoli, in Aegypto, sancti Sabini Martyris, qui multa passus, tandem, projectus in flumen, martyrium consummavit.

In Perside sanctae Christinae, Virginis et Martyris.

Apud Camerinum sancti Ansovini, Episcopi et Confessoris.

In Thebaide depositio sanctae Euphrasiae Virginis.

Constantinopoli Translatio sancti Nicephori, Episcopi ejusdem urbis et Confessoris; cujus corpus e Proconneso, Propontidis insula, ubi ipse quarto Nonas Junii ob sanctarum Imaginum cultum exsul obierat, Constantinopolim relatum est, atque a sancto illius civitatis Episcopo Methodio, honorifice in templo sanctorum

Apostolorum sepultum, hac ipsa recurrente die, in qua olim idem Nicephorus in exilium fuerat deportatus.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Martii**

**Pridie Idus Martii.**

**xj. B**

Romae, in agro Verano, sancti Leonis, Episcopi et Martyris.

Item Romae natalis sanctorum quadraginta septem Martyrum, qui baptizati sunt a beato Apostolo Petro, cum teneretur in custodia Mamertini cum Coapostolo suo Paulo, ubi novem menses detenti sunt; qui omnes, sub devotissima fidei confessione, Neroniano gladio consumpti sunt.

In Provincia Valeriae sanctorum duorum Monachorum, quos Longobardi suspendio necaverunt in arbore; in qua Martyres, licet defuncti, ab hostibus ipsis auditi sunt psallere.

In ea etiam persecutione Diaconus Ecclesiae Marsicanae, in confessione fidei, capite truncatus est.

In Africa sanctorum Martyrum Petri et Aphrodisii, qui, in persecutione Wandalica, martyrii coronam perceperunt.

Carrhis, in Mesopotamia, sancti Eutychiei patricii, et Sociorum, qui ab Evelid, Arabum Rege, ob fidei confessionem, interempti sunt.

Halberstatti, in Germania, dormitio beatae Mathildis Reginae, matris Othonis Primi, Romanorum Imperatoris, humilitate et patientia conspicuae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Martii**

**Idibus Martii.**

**x. C**

Caesareae, in Cappadocia, passio sancti Longini militis, qui Domini latus lancea perforasse perhibetur.

Eodem die natalis sancti Aristobuli, Apostolorum discipuli, qui, cursu praedicationis peracto, martyrium consummavit.

In Hellesponto sancti Menigni fullonis, qui sub Decio Imperatore passus est.

In Aegypto sancti Nicandri Martyris, qui, cum sanctorum Martyrum reliquias studiose perquireret, et ipse meruit effici Martyr, sub Diocletiano Imperatore.

Cordubae, in Hispania, sanctae Leocritiae, Virginis et Martyris; quae ob Christi fidem, in persecutione Arabica, diversis cruciatibus afflicta et gladio decollata est.

Thessalonicae sanctae Matronae, quae, cum esset ancilla cujusdam Judaeae, et occulte Christum coleret, ac furtivis orationibus quotidie Ecclesiam frequentaret, a domina sua

est deprehensa et multipliciter afflicta, atque novissime, robustis fustibus usque ad mortem caesa, in confessione Christi, incorruptum Deo spiritum reddidit.

Reate sancti Probi Episcopi, cui morienti Juvenalis et Eleutherius Martyres adfuerunt.

Vindobonae, in Austria, sancti Clementis-Mariae Hofbauer, Sacerdotis professi Congregationis a sanctissimo Redemptore nuncupatae, plurimis in Dei gloria et animarum salute promovenda ac dilatanda ipsa Congregatione exantlatis laboribus insignis; quem, virtutibus et miraculis clarum, [Sanctus] Pius Decimus, Pontifex Maximus, in Sanctorum canonem retulit.

Apud Capuam sancti Speciosi Monachi, cujus animam (ut scribit beatus Gregorius Papa) germanus ejus deferri vidit in caelum.

Lutetiae Parisiorum sanctae Ludovicae de Marillac, viduae Le Gras, Societatis Puellarum a Caritate una cum sancto Vincentio a Paulo Fundatricis, egenis sublevandis addictissimae, quam Pius Papa Undecimus Sanctarum fastis accensuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Martii**      **Decimo septimo Kalendas Aprilis. ix. D**

Romae passio sancti Cyriaci Diaconi, qui, post longam

carceris macerationem, liquata pice perfusus et in catasta extensus, attractus etiam nervis et fustibus caesus, ad ultimum, cum Largo et Smaragdo et aliis viginti, jubente Maximiano, capite truncatus est. Sanctorum vero Cyriaci, Largi et Smaragdi festivitas sexto Idus Augusti recolitur, quo die a beato Marcello Papa corpora eorumdem viginti trium Martyrum levata sunt ac venerabiliter tumulata.

Aquilejae natalis beati Hilarii Episcopi, et Tatiani Diaconi, qui, sub Numeriano Imperatore et Beronio Praeside, post equuleum atque alia tormenta, una cum Felice, Largo et Dionysio, martyrium terminarunt.

In Lycaonia sancti Papae Martyris, qui, ob Christi fidem, verberibus caesus, unguis ferreis laceratus, clavatis calceis incedere jussus est; deinde arbori alligatus, eadem arborem, migrans ad Dominum, ex sterili reddidit fructuosam.

Anazarbi, in Cilicia, sancti Juliani Martyris, qui, sub Marciano Praeside, diutissime cruciatus, demum, in sacco una cum serpentibus inclusus, in mare demersus est.

In ditione Canadensi sanctorum Martyrum Joannis de Brebeuf, Gabrielis Lalemant, Antonii Daniel, Caroli Garnier et Natalis Chabanel, Presbyterorum Societatis Jesu, qui in Huronica Missione, hac aliisque diebus, post multos labores et saevissimos cruciatus, mortem pro Christo fortiter obierunt.

Ravennae sancti Agapiti, Episcopi et Confessoris.

Coloniae Agrippinae sancti Heriberti Episcopi, sanctitate celebris.

Arvernus, in Gallia, depositio sancti Patricii Episcopi.

In Syria sancti Abrahae, Eremitae, cujus res gestas beatus Ephraem Diaconus conscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Martii**    **Sextodecimo Kalendas Aprilis.**    **viiij. E**

Apud civitatem Dunum, in Hibernia, natalis sancti Patricii, Episcopi et Confessoris, qui primus in ea insula Christum evangelizavit, et maximis miraculis et virtutibus claruit.

Hierosolymis sancti Joseph ab Arimathaea, qui nobilis Decurio et discipulus Domini exstitit; atque ipsius Domini corpus, de cruce depositum, in monumento suo novo sepelivit.

Romae sanctorum Alexandri et Theodori Martyrum.

Alexandriae commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui a Serapidis cultoribus comprehensi, et, cum adorare idolum constanter renuissent, saevissime caesi sunt, tempore Theodosii Imperatoris; qui mox rescriptum dedit, ut Serapidis templum destrueretur.

Constantinopoli sancti Pauli Martyris, qui, sub Constantino

Copronymo, cum sanctarum Imaginum cultum defenderet, igne combustus est.

Cabillone, in Galliis, sancti Agricolae Episcopi.

Nivigellae, in Brabantia, sanctae Gertrudis Virginis, quae, clarissimo genere orta, despiciens mundum et toto vitae suae cursu in omnibus sanctitatis officiis se exercens, Christum sponsum in caelis habere meruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Martii**     **Quintodecimo Kalendas Aprilis.**     **vij. F**

E Hierosolymis sancti Cyrilli Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; qui, ab Arianis multas pro fidei causa peressus injurias et ex Ecclesia sua saepe depulsus, tandem, sanctitatis gloria clarus, in pace quievit. Ipsius porro intemeratam fidem prima Constantinopolitana Synodus oecumenica, sancto Damaso Papae scribens, praeclaro testimonio commendavit.

Caesareae, in Palaestina, natalis beati Alexandri Episcopi, qui de Cappadocia, ex propria civitate, ubi erat Episcopus, sanctorum locorum desiderio Hierosolymam petiit; atque ibi, cum a Narcisso, ejusdem urbis Episcopo, jam sene, illa regeretur Eccllesia, ipsius gubernacula, divina edoctus revelatione, suscepit. Postmodum vero, in persecutione Decii, cum jam longaevae aetatis veneranda canitie praefulgeret, ductus est Caesaream, et clausus in carcere, ob



confessionem Christi, martyrium complevit.

Augustae sancti Narcissi Episcopi, qui primus in Rhaetia Evangelium praedicavit; deinde in Hispaniam profectus est, et, cum Gerundae multos ad Christi fidem convertisset, ibidem, in persecutione Diocletiani Imperatoris, una cum Felice Diacono, martyrii palmam accepit.

Nicomediae sanctorum decem millium Martyrum, qui, pro Christi confessione, gladio percussi sunt.

Ibidem sanctorum Martyrum Trophimi et Eucarpium.

In Britannia sancti Eduardi Regis, qui, dolis novercae necatus, multis miraculis claruit.

Lucae, in Tuscia, natalis sancti Frigidiani Episcopi, virtute miraculorum illustris.

Mantuae sancti Anselmi, Episcopi Lucensis et Confessoris.

Carali, in Sardinia, sancti Salvatoris ab Horta, Confessoris, ex Ordine Fratrum Minorum, qui, virtutibus et singulari miraculorum dono claruit, et a Pio Papa Undecimo inter sanctos Caelites adnumeratus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Martii**      **Quartodecimo Kalendas Aprilis.**      **vj. G**

In Judaea natalis sancti Joseph, Sponsi beatissimae Virginis Mariae, Confessoris; quem Pius Nonus, Pontifex Maximus, votis et precibus annuens totius catholici Orbis, universalis Ecclesiae Patronum declaravit.

Surrenti sanctorum Martyrum Quincti, Quinctillae, Quartillae et Marci, cum aliis novem.

Nicomediae sancti Pancharii Romani, qui, sub Diocletiano Imperatore, in hujus gratiam Christum pro diis inanibus ejuravit, sed, matre ac sorore instantibus, ad veram fidem mox rediit, et ob immotam in ea constantiam, nervis caesus et capite truncatus, martyrii coronam accepit.

Eodem die sanctorum Apollonii et Leontii Episcoporum.

Gandavi, in Flandria, sanctorum Landoaldi, Presbyteri Romani, et Amantii Diaconi; qui, a sancto Martino Papa ad praedicandum Evangelium missi, ambo apostolicum sibi commissum opus fideliter impleverunt, ac multis post obitum sunt illustrati miraculis.

Apud Pinnensem civitatem natalis beati Joannis, magnae sanctitatis viri; qui de Syria ad Italiam venit, atque ibi, constructo monasterio, multorum servorum Dei per quatuor et quadraginta annos Pater exstitit, et, clarus virtutibus, in pace quievit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

**20 Martii**      **Tertiodecimo Kalendas Aprilis. v. A**

In Judaea natalis sancti Joachim, patris immaculatae Virginis Genitricis Dei Mariae, Confessoris. Ipsius tamen festum agitur decimo septimo Kalendas Septembris.

In Asia item natalis sancti Archippi, qui beati Pauli Apostoli exstitit commilito, et cujus ipse in Epistola ad Philemonem et ad Colossenses meminit.

In Syria sanctorum Martyrum Pauli, Cyrilli, Eugenii et aliorum quatuor.

Eodem die sanctorum Photinae Samaritanae, Joseph et Victoris filiorum, itemque Sebastiani Ducis, Anatolii, Photii, Photidis, Parasceves et Cyriacae germanarum; qui omnes, Christum confessi, martyrium sunt assecuti.

Amisi, in Paphlagonia, sanctarum septem mulierum, scilicet Alexandrae, Claudiae, Euphrasiae, Matronae, Julianae, Euphemiae et Theodosiae; quae in fidei confessione sunt csesae, easque secutae sunt Derphuta et soror ipsius.

Apolloniae sancti Nicetae Episcopi, qui, pro sanctarum Imaginum cultu ejectus in exilium, illic reddidit spiritum.

In monasterio Fontanellae, in Gallia, sancti Wulfranni, Episcopi Senonensis, qui, relicto Episcopatu, ibidem, clarus miraculis, decessit e vita.

In Britannia depositio sancti Cuthberti, Episcopi Lindisfarnensis, qui, a pueritia ad obitum usque, sanctis

operibus et miraculorum signis effulsit.

Senis, in Tuscia, Beati Ambrosii, ex Ordine Praedicatorum, sanctitate, praedicatione et miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Martii**      **Duodecimo Kalendas Aprilis.**      **iv. B**

In monte Cassino natalis sancti Benedicti Abbatis, qui in Occidente fere collapsam Monachorum disciplinam restituit ac mirifice propagavit; cujus vitam, virtutibus et miraculis gloriosam, beatus Gregorius Papa conscripsit.

Catanae, in Sicilia, sancti Birilli, qui, a beato Petro ordinatus Episcopus, ibidem, cum multos Gentilium convertisset ad fidem, in ultima senectute quievit in pace.

Alexandriae commemoratio sanctorum Martyrum, qui, sub Constantio Imperatore et Praefecto Philagrio, irruentibus Arianis et Gentilibus in Ecclesias, in die Parasceves caesi sunt.

Eodem die sanctorum Martyrum Philemonis et Domnini.

Alexandriae beati Serapionis, Anachoretiae et Episcopi Thmueos, magnarum virtutum viri; qui, Arianorum furore in exilium actus, Confessor migravit ad Dominum.

In territorio Lugdunensi sancti Lupicini Abbatis, cujus vita

ob sanctitatis et miraculorum gloriam fuit illustris.

In loco Ranft, prope Sachseln, in Helvetia, sancti Nicolai de Flüe, patris familias, dein Anachoretæ, arctissima poenitentia, et mundi contemptu insignis, ab Helvetiis pater patriæ appellati, quem Pius Papa Duodecimus Sanctorum fastis adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

## **22 Martii**

**Undecimo Kalendas Aprilis. iij. C**

Narbone, in Gallia, natalis sancti Pauli Episcopi, Apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum Proconsulem. Hic, a beato Apostolo Paulo baptizatus, et ab eo, cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonem relictus, ibidem Episcopali dignitate donatus est; ibique, prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migravit in caelum.

Tarracinae, in Campania, sancti Epaphroditi, Apostolorum discipuli, qui a beato Petro Apostolo Episcopus illius civitatis ordinatus fuit.

Ancyrae, in Galatia, sancti Basilii, Presbyteri et Martyris, qui sub Juliano Apostata, gravissimis cruciatibus affectus, animam Deo reddidit.

Carthagine sancti Octaviani Archidiaconi, et multorum millium Martyrum, qui, ob fidem catholicam, a Wandalis caesi sunt.

In Africa sanctorum Martyrum Saturnini et aliorum novem.

In Galatia natalis sanctarum Martyrum Callinicae et Basilissae.

Romae sancti Zachariae Papae, qui Dei Ecclesiam summa vigilantia gubernavit, et clarus meritis quievit in pace.

Carthagine sancti Deogratias, Episcopi Carthaginensis, qui plurimos, a Wandalis captivos ex Urbe ductos, redemit, aliisque sanctis operibus celebris quievit in Domino.

Auximi, in Piceno, sancti Benvenuti Episcopi.

Romae sanctae Leae Viduae, cujus virtutes et transitum ad Deum sanctus Hieronymus scribit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Martii**

**Decimo Kalendas Aprilis. ij. D**

In Africa sanctorum Martyrum Victoriani, Proconsulis Carthaginis, et duorum germanorum, Aquisregensium; item Frumentii et alterius Frumentii, mercatorum. Hi omnes, in persecutione Wandalica (ut scribit Victor, Africanus Episcopus), sub Ariano Rege Hunnerico, pro constantia catholicae confessionis, immanissimis suppliciis cruciati, egregie coronati sunt.

Item in Africa sancti Fidelis Martyris.

Ibidem sancti Felicis et aliorum viginti Martyrum.

Caesareae, in Palaestina, sanctorum Martyrum Niconis et aliorum nonaginta novem.

Item coronae sanctorum Martyrum Domitii, Pelagiae, Aquilae, Eparchii et Theodosiae.

Limae, in Peruvia, sancti Turibii Episcopi, cujus virtute fides et disciplina ecclesiastica per Americam diffusae sunt.

Antiochiae sancti Theoduli Presbyteri.

Barcinone, in Hispania, sancti Josephi Oriol Presbyteri, Ecclesiae sanctae Mariae Regum Beneficarii, omnigena virtute ac praesertim corporis afflictatione, paupertatis cultu atque in egenos et infirmos caritate celebris; quem, in vita et post mortem miraculis gloriosum, Pius Papa Decimus in Sanctorum numero recensuit.

Caesareae sancti Juliani Confessoris.

In Campania sancti Benedicti Monachi, qui, a Gothis in ardenti clibano inclusus, sequenti die inventus est illaesus.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Martii**

**Nono Kalendas Aprilis.**

**j. E**

Festum sancti Gabrielis Archangeli, qui ad annuntiandum Incarnationis divini Verbi mysterium a Deo missus est.

Romae sancti Epigmenii Presbyteri, qui, in persecutione Diocletiani, sub Turpio Iudice, gladio caesus, martyrium consummavit.

Ibidem passio beati Pigmenii Presbyteri, qui, sub Juliano Apostata, pro fide Christi, praecipitatus in Tiberim, necatus est.

Item Romae sanctorum Martyrum Marci et Timothei, qui martyrio coronati sunt sub Antonino Imperatore.

Caesarae, in Palaestina, natalis sanctorum Martyrum Timolai, Dionysii, Pausidis, Romuli, Alexandri, alterius Alexandri, Agapii et alterius Dionysii; qui, in persecutione Diocletiani, sub Urbano Praeside, securis ictu percussi, vitae coronas meruerunt.

In Mauritania item natalis sanctorum fratrum Romuli et Secundi, qui pro Christi fide passi sunt.

Tridenti passio sancti Simeonis pueri, a Judaeis saevissime trucidati, qui multis postea miraculis coruscavit.

Synnadae, in Phrygia, sancti Agapiti Episcopi.

Brixiae sancti Latini Episcopi.

In Syria sancti Seleuci Confessoris.



In Suecia sanctae Catharinae Virginis, quae fuit filia sanctae Birgittae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Martii**

**Octavo Kalendas Aprilis.**

**\*. F**

Annuntiatio beatissimae Virginis Genitricis Dei Mariae.

Hierosolymis commemoratio sancti Latronis, qui, in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire: « Hodie mecum eris in paradiso ».

Romae sancti Quirini Martyris, qui, sub Claudio Imperatore, post facultatum amissionem, post carceris squalorem, post multorum verberum afflictionem, gladio interfectus est et in Tiberim projectus; quem Christiani, cum in insula Lycaonia (quae postea sancti Bartholomaei dicta est) invenissent, in coemeterio Pontiani condiderunt.

Item Romae sanctorum ducentorum sexaginta duorum Martyrum.

Sirmii passio sancti Irenaei, Episcopi et Martyris; qui, tempore Maximiani Imperatoris, sub Praeside Probo, primum tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis cruciatus in carcere, novissime, abscisso capite, consummatus est.

Nicomediae sanctae Dulae, cujusdam militis ancillae, quae,

ob castitatem servandam occisa, martyrii coronam promeruit.

Laodiceae, ad Libanum, sancti Pelagii Episcopi, qui, ob fidem catholicam, tempore Valentis, exsilium et alia passus est; ac tandem, in sedem suam restitutus, quievit in Domino.

In Antro, insula Ligeris fluminis, sancti Hermelandi Abbatis, cujus gloriosa conversatio insigni miraculorum praeconio commendatur.

Pistorii, in Tuscia, sanctorum Confessorum Barontii et Desiderii.

Faliscoduni sanctae Luciae Filippini, Fundatricis Instituti Magistrarum Piarum ab ejus cognomine nuncupatarum, de Christiana puellarum et mulierum, praesertim pauperum, eruditione optime meritae, quam Pius Papa Undecimus inter sanctas Virgines retulit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Martii**

**Septimo Kalendas Aprilis. xxix. G**

Romae, via Lavicana, sancti Castuli Martyris, qui, cum esset zetarius Palatii et hospes Sanctorum, a persecutoribus tertio appensus, tertio auditus, et, in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, ac, dimissa super eum massa arenaria, martyrio coronatus est.

Item Romae coronae sanctorum Martyrum Petri, Marciani, Jovini, Theclae, Cassiani et aliorum.

Pentapoli, in Libya, natalis sanctorum Martyrum Theodori Episcopi, Irenaei Diaconi, Serapionis et Ammonii Lectorum.

Sirmii sanctorum Martyrum Montani Presbyteri, et Maximae, qui, ob Christi fidem, in flumen demersi sunt.

Item sanctorum Martyrum Quadrati, Theodosii, Emmanuelis et aliorum quadraginta.

Alexandriae sanctorum Martyrum Eutychii et aliorum; qui, Constantii tempore, sub Ariano Episcopo Georgio, pro fide catholica gladio caesi sunt.

Eodem die sancti Ludgeri, Episcopi monasteriensis, qui Saxonibus Evangelium praedicavit.

Caesaraugustae, in Hispania, sancti Braulii, Episcopi et Confessoris.

Treviris sancti Felicis Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Martii**

**Sexto Kalendas Aprilis.**

**xxviij. A**

Sancti Joannis Damasceni, Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, cujus dies natalis agitur pridie Nonas Maji.

Driziparae, in Pannonia, sancti Alexandri militis, qui, sub Maximiano Imperatore, post multos pro Christo agones superatos multaque miracula edita, capitis abscissione martyrium complevit.

In Illyrico sanctorum Phileti Senatoris, Lydiae uxoris, et filiorum Macedonis et Theopreprii, itemque Amphilochoi Ducis, et Cronidae Commentariensis; qui, pro Christi confessione, tormentis pluribus superatis, coronam gloriae sunt adepti.

In Perside sanctorum Martyrum Zanitae, Lazari, Marotae, Narsetis et aliorum quinque, qui sub Rege Persarum Sapore, saevissime trucidati, martyrii palmam meruerunt.

Salisburgi, in Norico, sancti Ruperti, Episcopi et Confessoris, qui apud Bavaros et Noricos Evangelium mirifice propagavit.

In Agypto sancti Joannis Eremitae, magnae sanctitatis viri, qui, inter cetera virtutum insignia, etiam prophético spiritu plenus, Theodosio Imperatori victorias de tyrannis Maximo et Eugenio praedixit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

**28 Martii**

**Quinto Kalendas Aprilis.**

**xxvij. B**

Sancti Joannis de Capistrano, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, cujus memoria recolitur decimo Kalendas Novembris.

Caesareae, in Palaestina, natalis sanctorum Martyrum Prisci, Malchi et Alexandri. Hi tres, in persecutione Valeriani, cum in suburbano agello supradictae urbis habitarent, atque in ea caelestes martyrii proponerentur coronae, ultro Judicem, divino fidei calore succensi, adeunt, et cur tantum in sanguinem piorum desaeviret, objurgant; quos ille continuo, pro Christi nomine, bestiis tradidit devorandos.

Tarsi, in Cilicia, sanctorum Martyrum Castoris et Dorothei.

In Africa sanctorum Martyrum Rogati, Successi et aliorum sexdecim.

Apud Niirsiam sancti Spei Abbatis, mirae patientiae viri, cujus anima (ut refert sanctus Gregorius Papa), cum ex hac vita migraret, in columbae specie a cunctis fratribus visa est in caelum ascendere.

Cabillone, in Galliis, depositio sancti Gunthramni, Regis Francorum, qui spiritalibus actionibus ita se mancipavit, ut, relictis saeculi pompis, thesauros suos largiter Ecclesiis et pauperibus erogaret.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

Heliopoli, apud Libanum, sancti Cyrilli, Diaconi et Martyris, cujus jecur, e discisso ventre avulsum, Gentiles, sub Juliano Apostata, feraliter depasti sunt.

In Perside sanctorum Monachorum et Martyrum Jonae et Barachisii fratrum, sub Rege Persarum Sapore. Ex ipsis Jonas, pressus in cochlea, confractis ossibus, medius dissectus est; Barachisius autem, oppletis faucibus pice ardenti, suffocatus.

Nicomedise passio sanctorum Martyrum Pastoris, Victorini et Sociorum.

In Africa sanctorum Confessorum Armogastis Comitis, Masculae archimimi, et Saturi, regiae domus procuratoris; qui, tempore Wandalicae persecutionis, sub Rege Ariano Genserico, pro confessione veritatis, multa et gravia perpassi supplicia atque opprobria, cursum gloriosi certaminis impleverunt.

In urbe Astensi sancti Secundi Martyris.

In monasterio Luxoviensi, in Gallia, depositio sancti Eustasii Abbatis, qui sancti Columbani discipulus et ferme sexcentorum Monachorum Pater fuit; ac, vitae sanctitate conspicuus, etiam miraculis claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Martii**

**Tertio Kalendas Aprilis.**

**xxv. D**

Romae, via Appia, passio beati Quirini Tribuni, patris sanctae Balbinae Virginis, qui a beato Alexandro Papa, quem habebat in custodia, cum omni domo sua baptizatus est; atque, sub Hadriano Imperatore, cum esset traditus Aureliano Judici, et in fidei confessione persisteret, invictus Christi miles, post linguae abscissionem, equulei suspensionem, manuumque ac pedum detruncationem, martyrii agonem gladio consummavit.

Thessalonicae natalis sanctorum Martyrum Domnini, Victoris et Sociorum.

Constantinopoli commemoratio sanctorum plurimorum Martyrum catholicae communionis, quos, Constantii tempore, Macedonius haeresiarcha, inauditis tormentorum generibus cruciatus, occidit; nam, inter cetera, fidelium mulierum ubera inter compressa arcarum labra dissecuit, et candenti ferro combussit.

In castro Silvanectensi, in Gallia, depositio sancti Reguli, Arelatensis Episcopi.

Aureliae, in Gallia, sancti Pastoris Episcopi.

Syracusicis, in Sicilia, sancti Zosimi, Episcopi et Confessoris.

In monte Sina sancti Joannis Climaci Abbatis.

Aquileriae, in Hispania, sancti Petri Regalati, in urbe

Vallisoletana orti, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, regularis disciplinae in Hispaniae coenobiis restitutoris; quem Benedictus Decimus quartus, Pontifex Maximus, Sanctorum fastis adscripsit.

Apud Aquinum sancti Clinii Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**31 Martii**

**Pridie Kalendas Aprilis.**

**xxiv. E**

Thecuae, in Palaestina, sancti Amos Prophetae, qui ab Amasia Sacerdote frequenter plagis afflictus est, atque ab hujus filio Ozia vecte per tempora transfixus; et postea, semivivus in patriam devectus, ibidem exspiravit, sepultusque est cum patribus suis.

In Perside sancti Benjamin Diaconi, qui, cum Dei verbum non desisteret praedicare, ideo, sub Isdegerde Rege, arundinibus acutis confixus unguibus, et spinosa sude per alvum transmissa, martyrium consummavit.

In Africa sanctorum Martyrum Theoduli, Anesii, Felicis, Corneliae et Sociorum.

Romae sanctae Balbinae Virginis, filiae beati Quirini Martyris, quae, a sancto Alexandro Papa baptizata, in sancta virginitate Christum sibi sponsum elegit; et, post devictum hujus saeculi cursum, sepulta est via Appia, juxta patrem suum.



Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Aprilis

**1 Aprilis**

**Kalendis Aprilis.**

**xxij. A**

Romae passio sanctae Theodoraе, sororis illustrissimi Martyris Hermetis, quae, sub Hadriano Imperatore, ab Aureliano Iudice affecta martyrio, sepulta est juxta fratrem suum, via Salaria, non longe ab Urbe.

Eodem die sancti Venantii, Episcopi et Martyris.

In Aegypto sanctorum Martyrum Victoris et Stephani.

In Armenia sanctorum Martyrum Quinctiani et Irenaei.

Constantinopoli sancti Macarii Confessoris, qui, sub Leone Imperatore, pro assertione sanctorum Imaginum, in exsilio vitam finivit.

Ardpatrickii, in Momania Hiberniae provincia, sancti Celsi Episcopi, qui beatum Malachiam in Episcopatu praecessit.

Gratianopoli, in Gallia, sancti Hugonis Episcopi, qui multis annis in solitudine vitam exegit, et miraculorum gloria clarus migravit ad Dominum.

Apud Ambianum, in Gallia, sancti Walerici Abbatis, cujus

sepulcrum crebris miraculis illustratur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Aprilis**

**Quarto Nonas Aprilis.**

**xxj. B**

Turonis, in Gallia, sancti Francisci de Paula Confessoris, qui Ordinis Minimorum Institutor exstitit; atque, virtutibus et miraculis clarus, a Leone Papa Decimo in Sanctorum numerum est adscriptus.

Caesareae, in Palaestina, natalis sancti Apphiani Martyris, qui, ante sanctum Aedesium Martyrem, fratrem suum, in persecutione Galerii Maximiani, cum Praesidem Urbanum idolis immolantem arguisset, saeve dilaniatus est, et, pedibus lino in oleum intincto eoque incenso obvolutis, acerbissime cruciatus, ac demum in mare demersus; atque ita, transiens per ignem et aquam, eductus est in refrigerium.

Ibidem passio sanctae Theodosiae, Virginis Tyriae, quae, in eadem persecutione, cum sanctos Confessores ante tribunal stantes publice salutasset, atque rogasset eos, ut, cum ad Dominum pervenissent, sui recordarentur, a militibus tenta et ad Urbanum Praesidem ducta est; eoque jubente, lateribus et mammis ad interiora usque dilaniatis, in mare tandem projicitur.

Apud Lingonas, in Gallia, sancti Urbani Episcopi.

Apud Comum sancti Abundii, Episcopi et Confessoris.

Capuae sancti Victoris Episcopi, eruditione et sanctitate conspicui.

Lugduni, in Gallia, sancti Nicetii, ejusdem urbis Episcopi, vita et miraculis clari.

In Palaestina depositio sanctae Mariae Aegyptiacae, quae Peccatrix appellatur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Aprilis**

**Tertio Nonas Aprilis.**

**vij. E**

Romae natalis beati Xysti Primi, Papae et Martyris; qui, temporibus Hadriani Imperatoris, summa cum laude rexit Ecclesiam, ac demum, sub Antonino Pio, ut sibi Christum lucrifaceret, libenter mortem sustinuit temporalem.

Tauromenii, in Sicilia, sancti Pancratii Episcopi, qui Christi Evangelium, quod a sancto Petro Apostolo illuc missus praedicaverat, martyrii sanguine consignavit.

Tomis, in Scythia, natalis sanctorum Martyrum Evagrii et Benigni.

Tyri, in Phoenicia, sancti Vulpiani Martyris, qui, in persecutione Maximiani Galerii, cum aspide et cane insutus culeo, in mare demersus fuit.

Thessalonicae passio sanctarum Virginum Agapis et Chioniae, Diocletiano Imperatore, sub quo et sancta Virgo Irene, earum soror, postmodum passura erat. Ambae vero, cum Christum negare nollent, primum in carcere maceratae sunt, postea in ignem missae, sed a flammis intactae, ibi, oratione ad Dominum fusa, animas reddiderunt.

In monasterio Medicii, in Bithynia, depositio sancti Nicetae Abbatis, qui ob cultum sanctarum Imaginum, sub Leone Armeno, multa passus est, ac tandem, juxta Constantinopolim, Confessor quievit in pace.

In Anglia sancti Richardi, Episcopi Cicestrensis, sanctitate et miraculorum gloria conspicui.

Eboriaci, in territorio Meldensi, sanctae Burgundofarae, etiam Farae nomine appellatae, Abbatissae et Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Aprilis**

**Pridie Nonas Aprilis.**

**vij. F**

Hispali, in Hispania, sancti Isidori Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, sanctitate et doctrina conspicui; qui zelo catholicae fidei et ecclesiasticae observantia disciplinae Hispanias illustravit.

Mediolani depositio sancti Ambrosii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; cujus studio, inter cetera doctrinae et

miraculorum insignia, tempore Arianæ perfidiæ, tota fere Italia ad catholicam fidem conversa est. Ipsi tamen festività septimo Idus Decembris potissimum recolitur, quo die Episcopus Mediolanensis ordinatus est.

Thessalonice sanctorum Martyrum Agathopodis Diaconi, et Theoduli Lectoris, qui, sub Maximiano Imperatore et Faustino Praeside, ob Christianæ fidei confessionem, in mare, alligato ad collum saxo, demersi sunt.

Constantinopoli sancti Platonis Monachi, qui pluribus annis adversus hæreticos, sanctarum Imaginum effractores, invicto animo decertavit.

In Palaestina sancti Zosimi Anachoretæ, qui funus sanctæ Mariæ Aegyptiacæ curavit.

Panormi sancti Benedicti a sancto Philadelpho, ob corporis nigredinem cognomento Nigri, ex Ordine Minorum, Confessoris, qui, signis et virtutibus clarus, in Domino quievit, et a Pio Septimo, Pontifice Maximo, in Sanctorum numerum relatus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Aprilis**

**Nonis Aprilis.**

**vij. G**

Venetiae, in Britannia minore, sancti Vincentii, cognomento Ferrerii, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris, qui, potens opere et sermone, multa millia

infideliun convertit ad Christum.

In Africa passio sanctorum Martyrum, qui, in persecutione Regis Ariani Genserici, in die Paschae, in Ecclesia caesi sunt; quorum Lector, dum in pulpito "Alleluja" cantaret, sagitta in gutture transfixus est.

Eodem die sancti Zenonis Martyris, qui, pice illitus et in ignem coniectus, et hasta in medio rogo vulneratus, martyrio coronatus est.

In Lesbo insula passio sanctarum quinque Virginum, quae gladio martyrium consummarunt.

Thessalonicae sanctae Irenes Virginis, quae, cum sacros Libros contra Diocletiani edictum occultasset, ideo, post tolerantiam carceris, sagitta percussa est et igne cremata, jussu Dulcetii Prsesidis; sub quo et sorores ejus simul Agape et Chionia passae antea fuerant.

Palmae, in insula Majorica, sanctae Catharinae Thomas, Virginis, Canonissae Regularis ex Ordine sancti Augustini, quam Pius Papa Undecimus in sanctarum Virginum numerum retulit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Aprilis**

**Octavo Idus Aprilis.**

**vij. A**

Mediolani passio sancti Petri, ex Ordine Praedicatorum,

Martyris, qui ab haereticis, ob fidem catholicam, interemptus est. Ipsius tamen festivitas recolitur tertio Kalendas Maji.

Velehradii, in Moravia, natalis sancti Methodii, Episcopi et Confessoris, qui, una cum sancto Cyrillo, item Episcopo et fratre suo, cujus natalis sextodecimo Kalendas Martii recensetur, multas Slavicis gentes earumque Reges ad fidem Christi perduxit. Horum autem Sanctorum festum Nonis Julii celebratur.

In Macedonia sanctorum Martyrum Timothei et Diogenis.

In Perside sanctorum centum viginti Martyrum.

Ascalone, in Palaestina, passio sanctorum Platonidis et aliorum duorum Martyrum.

Carthagine sancti Marcellini Martyris, qui, ob catholicae fidei defensionem, ab haereticis occisus est.

In Dania sancti Gulielmi Abbatis, vita et miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Aprilis**

**Septimo Idus Aprilis.**

**vij. B**

Rotomagi natalis sancti Joannis Baptistae de La Salle, Presbyteri et Confessoris, qui, in erudienda adolescentia praesertim paupere excellens, et de religione civilique



societate praeclare meritis, Fratrum Scholarum Christianarum Sodalitatem instituit. Eum Pius Duodecimus, Pontifex Maximus, omnium Magistrorum pueris adolescentibusque instituendis praecipuum apud Deum caelestem Patronum constituit. Ipsius tamen festum Idibus Maji celebratur.

In Africa item natalis sanctorum Martyrum Epiphanii Episcopi, Donati, Rufini et aliorum tredecim.

Alexandriae sancti Peleusii, Presbyteri et Martyris.

Synope, in Ponto, sanctorum ducentorum Martyrum.

In Cilicia sancti Calliopii Martyris, qui, sub Maximiano Praefecto, post alia tormenta, capite in terram verso cruci affixus, nobili corona martyrii decoratus est.

Nicomediae sancti Cyriaci et aliorum decem Martyrum.

Veronae sancti Saturnini, Episcopi et Confessoris.

Romae sancti Hegesippi, qui, vicinus Apostolorum temporibus, Romam venit ad Anicetum Pontificem, ibique mansit usque ad Eleutherium, et Ecclesiasticorum Actuum a passione Domini usque ad suam aetatem sermone simplici texuit historiam; ut, quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret caractere.

In Syria sancti Aphraatis Anachoretæ, qui, Valentis tempore, catholicam fidem virtute miraculorum adversus

Arianos defendit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Aprilis**

**Sexto Idus Aprilis.**

**vij. C**

Commemoratio sanctorum Herodionis, Asyncriti et Phlegontis, de quibus scribit beatus Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos.

Alexandriae sancti Aedesii Martyris, qui, sub Maximiano Galerio Imperatore, cum esset beati Apphiani frater, et impium Judicem, quod Deo dicatas Virgines lenonibus traderet, palam argueret, idcirco, a militibus tentus saevissimisque affectus suppliciiis, in mare demersus est pro Christo Domino.

In Africa sanctorum Martyrum Januarii, Maximae et Macariae.

Carthagine sanctae Concessae Martyris.

Apud Corinthum beati Dionysii Episcopi, qui eruditione et gratia, quam habuit in verbo Dei, non solum suae civitatis et provinciae populos, sed et aliarum provinciarum et urbium Episcopos epistolis erudivit; Romanosque Pontifices adeo coluit, ut eorum epistolas publice legere in Ecclesia diebus Dominicis consueverit. Claruit autem temporibus Marci Antonini Veri et Lucii Aurelii Commodi.

Turonis, in Gallia, sancti Perpetui Episcopi, admirandae sanctitatis viri.

Ferentini, in Hernicis, sancti Redempti Episcopi, cujus meminit beatus Gregorius Papa.

Apud Comum sancti Amantii, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Aprilis**

**Quinto Idus Aprilis.**

**vij. D**

In Judaea sanctae Mariae Cleophae, quam beatus Joannes Evangelista sororem sanctissimae Dei Genitricis Mariae nuncupat, et cum hac simul juxta crucem Jesu stetisse narrat.

Antiochiae sancti Prochori, qui fuit unus de septem primis Diaconis; et, fide ac miraculis clarus, martyrio coronatus est.

Ronue natalis sanctorum Martyrum Demetrii, Concessi, Hilarii et Sociorum.

Caesareae, in Cappadocia, sancti Euppsychii Martyris, qui ob eversum Fortunae fanum, sub Juliano Apostata, martyrium consummavit.

In Africa sanctorum Martyrum Massylitanorum, in quorum die natali sanctus Augustinus tractatum habuit.

Sirmii passio sanctarum septem Virginum et Martyrum, quae, dato simul pretio sanguinis, vitam mercatae sunt aeternam.

Amidae, in Mesopotamia, sancti Acatii Episcopi, qui pro redimendis captivis etiam vasa Ecclesiae conflavit ac vendidit.

Rotomagi sancti Hugonis, Episcopi et Confessoris.

In civitate Diensi, in Gallia, sancti Marcelli Episcopi, miraculis clari.

Montibus, in Hannonia, beatæ Waldetrudis, vitae sanctimonia et miraculis clarae.

Romae Translatio corporis sanctae Monicæ, matris beati Augustini Episcopi; quod, ex Ostiis Tiberinis, Martino Quinto Summo Pontifice, in Urbem delatum, in Ecclesia ejusdem beati Augustini honorifice reconditum fuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Aprilis**

**Quarto Idus Aprilis.**

**vij. E**

Apud Babylonem sancti Ezechielis Prophetæ, qui, a Judice populi Israel, quod eum de cultu idolorum argueret, interfectus, in sepulcro Sem et Arphaxad, Abrahæ progenitorum, sepultus est; ad quod sepulcrum, orationis

causa, multi confluere consueverunt.

Romae natalis plurimorum sanctorum Martyrum, quos sanctus Alexander Papa, cum detineretur in carcere, baptizavit. Hos autem omnes Aurelianus Praefectus, navi vetustae impositos, in altum mare deduci, et illic, ligatis ad colla lapidibus, mergi praecepit.

Alexandriae sanctorum Martyrum Apollonii Presbyteri, et aliorum quinque, qui, in persecutione Maximiani, in mare demersi sunt.

In Africa sanctorum Martyrum Terentii, Africani, Pompeji et Sociorum; qui, sub Decio Imperatore et Fortuniano Praefecto, virgis caesi, equuleis torti aliisque suppliciis cruciati, demum capitis obtruncatione martyrium compleverunt.

Gandavi, in Flandria, sancti Macarii, Episcopi Antiocheni, virtutibus et miraculis clari.

Vallisoleti, in Hispania, sancti Michaelis de Sanctis, ex Ordine Discalceatorum sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, Confessoris, innocentia vitae, admirabili poenitentia et caritate in Deum eximii; quem Pius Nonus, Pontifex Maximus, inter Sanctos retulit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Aprilis**

**Tertio Idus Aprilis.**

**xiv. F**

Sancti Leonis Papae Primi, cognomento Magni, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, cujus dies natalis recolitur quarto Idus Novembris.

Pergami, in Asia, sancti Antipae, testis fidelis, cujus meminit sanctus Joannes in Apocalypsi. Ipse autem Antipas, sub Domitiano Imperatore, in bovem aeneum candentem coniectus, martyrium consummavit.

Salonae, in Dalmatia, sanctorum Martyrum Domnionis Episcopi, cum militibus octo.

Gortynae, in Creta, sancti Philippi Episcopi, vita et doctrina clarissimi, qui, temporibus Marci Antonini Veri et Lucii Aurelii Commodi, Ecclesiam sibi creditam regens, a furore Gentilium et ab haereticorum insidiis eadem tutatus est.

Nicomediae sancti Eustorgii Presbyteri.

Spoleti sancti Isaac, Monachi et Confessoris, cujus virtutes sanctus Gregorius Papa commemorat.

Apud Gazam, in Palaestina, sancti Barsanuphii Anachoretae, sub Justiniano Imperatore.

Lucae, in Etruria, sanctae Gemmae Galgani, Virginis, contemplatione Dominicae Passionis et vitae sanctitate mirabilis, quam Pius Papa Duodecimus in Sanctarum numerum retulit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Aprilis**

**Pridie Idus Aprilis.**

**xiiij. G**

Veronae passio sancti Zenonis Episcopi, qui inter persecutionis procellas eam Ecclesiam mira constantia gubernavit, et, Gallieni tempore, martyrio coronatus est.

In Cappadocia sancti Sabae Gothi, qui, sub Valente Imperatore, cum Rex Gothorum Athanaricus Christianos insequeretur, in flumen, post dira tormenta, projectus est; quo etiam tempore (ut sanctus Augustinus scribit) quamplurimi ex Gothis orthodoxis corona martyrii sunt insigniti.

Bracari, in Lusitania, sancti Victoris Martyris, qui, adhuc catechumenus, cum nolisset idolum adorare, et Christum Jesum magna constantia confessus fuisset, ideo, post multa tormenta, capite abscisso, meruit proprio sanguine baptizari.

Firmi, in Piceno, sanctae Vissiae, Virginis et Martyris.

Romae, via Aurelia, natalis sancti Julii Papae Primi, qui adversus Arianos pro fide catholica plurimum laboravit, ac, multis praeclare gestis, sanctitate celebris quievit in pace.

Apud Vapingum oppidum, in Gallia, sancti Constantini, Episcopi et Confessoris.

Papiae sancti Damiani Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Aprilis**

**Idibus Aprilis.**

**xij. A**

Hispali, in Hispania, sancti Hermenegildi Martyris, qui fuit filius Leovigildi, Regis Visigothorum Ariani; atque ob catholicae fidei confessionem conjectus in carcerem, et, cum in solemnitate Paschali Communionem ab Episcopo Ariano accipere nolisset, perfidi patris jussu securi percussus est, ac regnum caeleste pro terreno Rex et Martyr intravit.

Romae, in persecutione Marci Antonini Veri et Lucii Aurelii Commodi, passio sancti Justini, Philosophi et Martyris; qui, cum secundum librum pro religionis nostrae defensione praefatis Imperatoribus porrexisset, eamque ibidem disputando strenue propugnasset, Crescentis Cynici, cujus vitam et mores nefarios redarguerat, insidiis accusatus quod Christianus esset, remunerationem linguae fidelis, martyrii munus accepit. Ipsius tamen festum sequenti die recolitur.

Pergami, in Asia, in eadem persecutione, natalis sanctorum Martyrum Carpi, Thyatirensis Episcopi; Papyli Diaconi, et Agathonicae, ejusdem Papyli sororis et optimaefeminae, atque Agathodori, eorum famuli, aliorumque multorum. Hi omnes, post varios cruciatus, pro beatis confessionibus



martyrio coronati sunt.

Dorostori, in Mysia inferiore, passio sanctorum Maximi, Quintiliani et Dadae, in persecutione Diocletiani.

Ravennae sancti Ursi, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Aprilis**      **Decimo octavo Kalendas Maji. xj. B**

Sancti Justini, Philosophi et Martyris, cuius memoria pridie hujus diei recensetur.

Romae, via Appia, natalis sanctorum Martyrum Tiburtii, Valeriani et Maximi, sub ALEXANDRO Imperatore et ALMACHIO Praefecto. Horum duo primi, beatae Caeciliae exhortatione ad Christum conversi et a sancto Urbano Papa baptizati, postmodum, ob fidei confessionem, fustibus caesi, gladio percussi sunt; Maximus vero, Praefecti cubicularius, cum et ipse, eorum permotus constantia et angelica visione firmatus, in Christum credidisset, tamdiu plumbatis verberatus est, donec spiritum exhalaret.

Interamnae sancti Proculi, Episcopi et Martyris.

Eodem die sancti Ardalionis mimi, qui, dum Sacris Christianorum in theatro illuderet, repente mutatus est, et ea non solum verbis, sed etiam testimonio sui sanguinis

comprobavit.

Interamnae sanctae Domninae, Virginis et Martyris, cum Sociis Virginibus coronatae.

Alexandriae sanctae Thomaidis Martyris, quae a socero, cujus impudicis noluerat consentire votis, gladio percussa est atque in duas partes per medium discissa.

Lugduni, in Gallia, sancti Lamberti, Episcopi et Confessoris.

Alexandriae sancti Frontonis Abbatis, cujus vita sanctitate et miraculis claruit.

Romae sancti Abundii, Mansionarii Ecclesiae sancti Petri.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Aprilis**    **Decimo septimo Kalendas Maji.**    **x. C**

Romae sanctarum Basilissae et Anastasiae, nobilium feminarum, quae, cum essent Apostolorum discipulae et constantes in fidei confessione persisterent, sub Nerone Imperatore, lingua pedibusque praecisis, percussae gladio, martyrii coronam adeptae sunt.

Eodem die sanctorum Martyrum Maronis, Eutychetis et Victorini; qui, primo cum beata Flavia Domitilla apud

insulam Pontiam in Christi confessione exsules, postmodum, sub Principe Nerva, liberati, tandem, cum plurimos ad fidem convertissent, in persecutione Trajani, a Valeriano Iudice variis poenis jussi sunt interfici.

In Perside sanctorum Martyrum Maximi et Olympiadis, qui, sub Decio Imperatore, fustibus et plumbatis caesi sunt; et ad ultimum capita eorum sunt fustibus tusa, donec ambo emitterent spiritum.

Ferentini, in Hernicis, sancti Eutychie Martyris.

Myrae, in Lycia, sancti Crescentis, qui per ignem martyrium consummavit.

In Thracia sanctorum Martyrum Theodori et Pausilippi, qui sub Hadriano Imperatore passi sunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Aprilis**                      **Sexdecimo Kalendas Maji.**    **ix. D**

Corinthi natalis sanctorum Martyrum Callisti et Charisii, cum aliis septem, qui omnes, post alia tolerata supplicia, in mare demersi sunt.

Caesaraugustae, in Hispania, item natalis sanctorum decem et octo Martyrum, scilicet Optati, Luperci, Successi, Martialis, Urbani, Juliae, Quinctiliani, Publii, Frontonis, Felicis, Caeciliani, Eventii, Primitivi, Apodemii, et aliorum

quatuor qui Saturnini vocati esse referuntur. Hi omnes sub Daciano, Hispaniarum Praeside, simul poenis affecti atque interempti sunt; quorum illustre martyrium Prudentius versibus exornavit.

In eadem civitate sanctorum Caji et Crementii, qui, secundo confessi et in Christi fide perseverantes, martyrii calicem gustaverunt.

Ibidem sancti Lamberti Martyris.

Item Caesaraugustae sanctae Encratidis, Virginis et Martyris, quae, laniato corpore, mamilla abscissa et jecore avulso, adhuc superstes in carcere inclusa et retenta est, donec ulceratum ipsius corpus putresceret.

Palentiae sancti Turibii, Episcopi Asturicensis, qui, ope sancti Leonis Papse, Priscilliani haeresim ex Hispania penitus profligavit, clarusque miraculis quievit in pace.

Bracari, in Lusitania, sancti Fructuosi Episcopi.

Sesciaci, in Constantiensi Galliae territorio, transitus sancti Paterni, Episcopi Abrincensis et Confessoris.

Romae natalis sancti Benedicti-Josephi Labre Confessoris, qui contemptu sui et extremae voluntariae paupertatis laude exstitit insignis.

Apud Valencenas, in Gallia, sancti Drogonis Confessoris.

Nivernis, in Gallia, sanctae Mariae-Bernardae Soubirous, Virginis, e Congregatione Sororum a Caritate et Institutione Christiana, Lapurdi, adhuc iuvenulae, iteratis

apparitionibus Immaculatae Dei Genitricis Mariae recreatae, quam Pius Papa Undecimus inter sanctas Virgines adscripsit.

Senis, in Tuscia, beati Joachim, ex Ordine Servorum beatae Mariae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Aprilis**      **Quintodecimo Kalendas Maji.**      **viiij. E**

Romae sancti Aniceti, Papae et Martyris; qui martyrii palmam in persecutione Marci Aurelii Antonini et Lucii Veri accepit.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Eliae Presbyteri, Pauli et Isidori Monachorum, qui, in persecutione Arabica, ob Christianae fidei professionem, interempti sunt.

Antiochiae sanctorum Martyrum Petri Diaconi, et Hermogenis, qui ejusdem Petri erat minister.

In Africa natalis beati Mappalici Martyris, qui (ut scribit sanctus Cyprianus in epistola ad Martyres et Confessores), cum aliis pluribus, martyrio coronatus est.

Ibidem sanctorum Martyrum Fortunati et Marciani.

Viennae, in Gallia, sancti Pantagathi Episcopi.

Dertonae sancti Innocentii, Episcopi et Confessoris.

Cistercii, in Gallia, sancti Stephani Abbatis, qui primus eremum Cisterciensem incoluit, et sanctum Bernardum, cum sociis ad se venientem, laetus excepit.

In monasterio Casae Dei, Claromontanae dioecesis, in Gallia, sancti Roberti Confessoris, qui ejusdem monasterii conditor et primus Abbas exstitit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Aprilis**      **Quartodecimo Kalendas Maji.**      vij. F

Apud montem Senarium, in Etruria, natalis sancti Amidaei Confessoris, e septem Fundatoribus Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, flagrantissima in Deum caritate praeclari. Ipsius tamen ac Sociorum festum pridie Idus Februarii celebratur.

Romae beati Apollonii Senatoris, qui, sub Commodo Principe et Perennio Praefecto, a servo proditus quod Christianus esset, jussusque ut rationem fidei suae redderet, insigne volumen composuit, quod in Senatu legit; et nihilominus pro Christo, sententia Senatus, capite truncatus est.

Messanae, in Sicilia, natalis sanctorum Martyrum Eleutherii, Episcopi Illyrici, et Anthiae matris. Ipse, cum

esset vitae sanctimonia et miraculorum virtute illustris, sub Hadriano Principe, lectum ferreum ignitum, craticulam et sartaginem, oleo et pice ac resina ferventem, superans, projectus quoque leonibus sed ab illis nil laesus, novissime simul cum matre jugulatur.

Cordubae, in Hispania, sancti Perfecti, Presbyteri et Martyris, qui a Mauris, eo quod inveheretur in Mahumetis sectam et firmiter Christi fidem profiteretur, gladio trucidatus est.

Messanae, in Sicilia, sancti Corebi Praefecti, qui, per sanctum Eleutherium conversus ad fidem, gladio percussus est.

Brixiae sancti Caloceri Martyris, qui, a sanctis Faustino et Jovita conversus ad Christum, sub Hadriano Principe gloriosum confessionis certamen complevit.

Mediolani sancti Galdini, Cardinalis et ejusdem civitatis Episcopi, qui, concione adversus haereticos expleta, spiritum Deo reddidit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Aprilis**

**Tertiodecimo Kalendas Maji. vj. G**

Corinthi natalis sancti Timonis, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic primo apud Beroeam Doctor resedit, ac deinde, verbum Domini disseminans, venit Corinthum;

ibique, a Judaeis et Graecis (ut traditur) injectus flammis, sed nihil laesus, demum, cruci affixus, martyrium suum implevit.

Cantuariae, in Anglia, sancti Elphegi, Episcopi et Martyris.

Melitinae, in Armenia, sanctorum Martyrum Hermogenis, Caji, Expediti, Aristonici, Rufi et Galatae, qui omnes una die sunt coronati.

Caucoliberi, in Hispania Tarraconensi, passio sancti Vincentii Martyris.

Eodem die sanctorum Martyrum Socratis et Dionysii, qui lanceis confossi sunt.

Hierosolymis sancti Paphnutii Martyris.

Romae sancti Leonis Papae Noni, virtutum et miraculorum laude insignis.

Antiochiae Pisidiae sancti Georgii Episcopi, qui, ob sanctarum Imaginum cultum, exsul occubuit.

In coenobio Laubiensi, in Belgio, sancti Ursuari Episcopi.

Florentiae sancti Crescentii Confessoris, qui fuit discipulus beati Zenobii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.



---

**20 Aprilis**

**Duodecimo Kalendas Maji. v. A**

Romae sanctorum Martyrum Sulpicii et Serviliani, qui, praedicatione et miraculis beatae Domitillae Virginis ad Christi fidem conversi, ambo, cum nolent idolis immolare, in persecutione Trajani, a Praefecto Urbis Aniano sunt capite caesi.

Nicomediae sanctorum Martyrum Victoris, Zotici, Zenonis, Acindyni, Caesarei, Severiani, Chrysophori, Theonae et Antonini, qui, sub Diocletiano Imperatore, passione ac signis beati Georgii ad Christum conversi sunt, et ob intrepidam fidei confessionem, varie tentati, martyrium compleverunt.

Tomis, in Scythia, sancti Theotimi Episcopi, quem, ob insignem ipsius sanctitatem atque miracula, etiam infideles barbari venerati sunt.

Ebreduni, in Galliis, sancti Marcellini, qui fuit primus ejusdem urbis Episcopus. Hic, Dei monitu, cum sanctis Sociis Vincentio et Domnino, ex Africa venit, et maximam Alpium maritimarum partem verbo et signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad Christi fidem convertit.

Antisiodori sancti Marciani Presbyteri.

Apud Constantinopolim sancti Theodori Confessoris, ab aspera cilicii veste, qua tegebatur, cognomento Trichinas, qui multis virtutibus, praesertim adversus daemones, claruit; ex cujus corpore scaturiens unguentum aegrotis sanitatem impertit.

In Monte Politiano, in Tuscia, sanctae Agnetis Virginis, ex Ordine sancti Dominici, miraculis clarae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Aprilis**                      **Undecimo Kalendas Maji.**      **iv. B**

Cantuariae, in Anglia, sancti Anselmi Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, sanctitate et doctrina conspicui.

In Perside natalis sancti Simeonis, Episcopi Seleuciaae et Ctesiphontis, qui, jubente Rege Persarum Sapore, comprehensus ferroque onustus, iniquis tribunalibus exhibitus, et, cum Solem ipsum adorare nollet et de Jesu Christo voce libera et constantissima testaretur, primum carcerali ergastulo, cum aliis centum (ex quibus alii Episcopi, alii erant Presbyteri, alii diversorum ordinum Clerici), longo tempore maceratus est. Deinde, cum Usthazanes, Regis nutritius, qui ante jam lapsus a fide, sed per eum ad poenitentiam fuerat revocatus, martyrium constanter subiisset, postridie, qui erat annuus Dominicae passionis dies, omnibus ante Simeonis oculos, qui unumquemque eorum strenue exhortabatur, gladio jugulatis, novissime et ipse decollatus est. Passi sunt etiam cum ipso clarissimi viri Abdechallas et Ananias, qui ejus erant Presbyteri. Pusicius quoque, Praefectus artificum Regis, eo quod Ananiam titubantem corroborasset, ideo, collo circa tendinem perforato et lingua exinde extracta,

crudeli morte occubuit; post quem et filia ejus, quae erat sacra Virgo, pluribus et diris afflicta cruciatibus ac demum ense decollata est.

Alexandriae sanctorum Martyrum Aratoris Presbyteri, Fortunati, Felicis, Silvii et Vitalis, qui in carcere quieverunt.

Nicomediae sanctorum Martyrum Apollinis, Isacii et Codrati; e quibus, sub Diocletiano Imperatore, ultimus capite plexus, et, paucis post illum diebus, duo primi in vinculis fame confecti, martyrii coronam meruerunt.

Antiochiae sancti Anastasii Sinaitae Episcopi.

Ættingae Veteris, in Bavaria, sancti Conradi a Parzham, Confessoris, Ordinis Minorum Capuccinorum, caritate et oratione insignis, quem, miraculis clarum, Pius Papa Undecimus Sanctorum numero adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Aprilis**

**Decimo Kalendas Maji.**

**iiij. C**

Romae, via Appia, natalis sancti Soteris, Papae et Martyris.

Item Romae sancti Caji, Papae et Maityris; qui martyrio coronatus est sub Diocletiano Principe.

Smyrnae sanctorum Apellis et Lucii, ex primis Christi discipulis.

Eodem die sanctorum plurimorum Martyrum, qui, sequenti anno post obitum Simeonis, annuo item die quo passionis Dominicae memoria celebrabatur, per totam Persidis regionem, pro Christi nomine, sub Rege Sapore, gladio caedi iussi sunt. In quo fidei certamine passus est Azades eunuchus, Regi carissimus; Milles Episcopus, sanctitate et miraculorum virtute insignis; Acepsimas Episcopus, cum Presbytero suo Jacobo, item Aithala et Josepho Presbyteris, Azadane et Abdieso Diaconis, et compluribus aliis Clericis; Mareas quoque et Bicolor Episcopi, cum aliis viginti Episcopis, et Clericis fere ducentis quinquaginta, Monachis etiam et sacris Virginibus plurimis. Has inter Virgines fuit etiam sancti Simeonis Episcopi soror, nomine Tarbula, cum pedissequa sua; quae, stipitibus alligatae serraque scissae, crudelissime necatae sunt.

Item in Perside sanctorum Parmenii, Helimenae et Chrysoteli Presbyterorum, Lucae et Mucii Diaconorum, quorum triumphus martyrii in passione sanctorum Abdon et Sennen habetur.

Alexandriae natalis sancti Leonidas Martyris, qui sub Severo passus est.

Lugduni, in Gallia, sancti Epipodii, qui, in persecutione Antonini Veri, cum Alexandro collega tentus, ibidem, post dira tormenta, martyrium abscissione capitis complevit.

Constantinopoli sancti Agapiti Papae Primi, cujus sanctitas a beato Gregorio Magno commendatur. Ipsius autem corpus, postea Romam relatum, in Vaticano conditum est.

Apud Senonas sancti Leonis, Episcopi et Confessoris.

Anastasiopoli, in Galatia, sancti Theodori Episcopi, miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Aprilis**

**Nono Kalendas Maji.**

**ij. D**

Natalis sancti Georgii Martyris, cujus illustre martyrium inter Martyrum coronas Ecclesia Dei veneratur.

In vico Tenkitten, ad sinum Venedicum, in Borussia, item natalis sancti Adalberti, Episcopi Pragensis et Martyris, qui Polonis et Hungaris Evangelium praedicavit.

Valentiae, in Gallia, passio sanctorum Martyrum Felicis Presbyteri, Fortunati et Achillei Diaconorum. Hi, cum fuissent a beato Irenaeo, Lugdunensi Episcopo, missi ad praedicandum verbum Dei, et maximam illius civitatis partem ad Christi fidem convertissent, a Duce Cornelio sunt in carcerem trusi; deinde, diutissime verberati, cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem stricti, fumum quoque in equulei suspensione perpassi; ad extremum gladio consummati sunt.

Mediolani sancti Maroli, Episcopi et Confessoris.

Tulli, in Gallia, sancti Gerardi, ejusdem civitatis Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Aprilis**

**Octavo Kalendas Maji.**

**j. E**

Sevisii, in Rhaetia, sancti Fidelis a Sigmaringa, Sacerdotis ex Ordine Minorum Capuccinorum et Martyris; qui, illuc ad praedicandam catholicam fidem missus, ibidem, ab haereticis interemptus, martyrium consummavit; et a Benedicto Decimo quarto, Pontifice Maximo, inter sanctos Martyres relatus est.

Romae sancti Sabae, ductoris militum, qui, accusatus quod Christianos in carcere detentos visitaret, coram Judice Christum libere confessus est. Hinc ab eodem Judice facibus adustus et in lebetem picis ferventis est immissus, et, cum inde evasisset illaesus, eo miraculo septuaginta viros ad Christum convertit; qui omnes, constanter in confessione fidei permanentes, gladio caesi sunt. Postremo et ipse, demersus in flumen, martyrium consummavit.

Lugduni, in Gallia, natalis sancti Alexandri Martyris, qui, in persecutione Antonini Veri, post carceris custodiam, primo ita laniatus est crudelitate verberantium, ut, crate soluta costarum, patefactis visceribus, interiora corporis panderentur; deinde, crucis affixus patibulo, beatum spiritum exanimatus emisit. Passi sunt cum ipso et alii, numero triginta quatuor, quorum memoria aliis diebus

agitur.

Nicomediae sanctorum Martyrum Eusebii, Neonis, Leontii, Longini et aliorum quatuor, qui, in persecutione Diocletiani, post diros cruciatus, gladio percussi sunt.

In Anglia depositio sancti Melliti Episcopi, qui, a sancto Gregorio Papa in Angliam missus, orientales Saxones et ipsorum Regem ad fidem convertit.

Illiberi, in Hispania, sancti Gregorii, Episcopi et Confessoris.

Brixiae sancti Honorii Episcopi.

In Iona, Scotiae insula, sancti Egberti, Presbyteri et Monachi, admirandae humilitatis et continentiae viri.

Rhemis, in Gallia, sanctarum Virginum Bovae et Dodae.  
Andegavi, in Gallia, sanctae Mariae a sancta Euphrasia Pelletier, Virginis, Instituti Sororum a Bono Pastore Fundatricis, quam Pius Duodecimus, Pontifex Maximus, in Sanctarum numerum retulit.

Mediolani Conversio sancti Augustini Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; quem beatus Ambrosius Episcopus veritatem fidei catholicae docuit, et hac die baptizavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Aprilis**

**Septimo Kalendas Maji.**

**\*. F**

Romae Litaniae majores ad sanctum Petrum.

Alexandriae natalis beati Marci Evangelistae. Hic, discipulus et interpres Apostoli Petri, rogatus Romae a fratribus scripsit Evangelium, quo assumpto, perrexit in Aegyptum, primusque Alexandriae Christum annuntians, constituit Ecclesiam; ac postea, pro fide Christi tentus, funibus vinctus et per saxa raptatus, graviter afflictus est; deinde, reclusus in carcere, primo angelica visitatione confortatus est, et demum, ipso Domino sibi apparente, ad caelestia regna vocatus, octavo Neronis anno.

Item Alexandriae sancti Aniani Episcopi, qui, beati Marci discipulus ejusque in Episcopatu successor, clarus virtutibus quievit in Domino.

Antiochiae sancti Stephani, Episcopi et Martyris, qui ab haereticis Synodum Chalcedonensem impugnantibus, multa passus, in Orontem fluvium praecipitatus est, tempore Zenonis Imperatoris.

Syraculis, in Sicilia, sanctorum Martyrum fratrum Evodii, Hermogenis et Callistae.

Laubiis, in Belgio, natalis sancti Ermini, Episcopi et Confessoris.

Antiochiae sanctorum Philonis et Agathopodis Diaconorum, de quibus beatus Ignatius, Episcopus et



Martyr, laudabilem in suis epistolis mentionem facit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Aprilis**                      **Sexto Kalendas Maji.**                      **xxix. G**

Romae natalis beati Cleti, Papae et Martyris; qui, secundus post Apostolum Petrum, rexit Ecclesiam, et martyrio in persecutione Domitiani coronatus est.

Sancti Marcellini, Papae et Martyris, cujus dies natalis octavo Kalendas Novembris recensetur.

Amaseae, in Ponto, sancti Basilei, Episcopi et Martyris, qui, sub Licinio Imperatore, illustre martyrium consummavit. Ipsius autem corpus, in mare projectum, et ab Elpidiphoro, Angeli monitu repertum, honorifice tumulatum fuit.

Bracari, in Lusitania, sancti Petri Martyris, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus.

Viennae, in Gallia, sancti Clarentii, Episcopi et Confessoris.

Veronae sancti Lucidii Episcopi.

In monasterio Centula, in Gallia, sancti Richarii, Presbyteri et Confessoris.

Trecis, in Gallia, sanctae Exsuperantiae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Aprilis**                      **Sexto Kalendas Maji.**                      **xxviij.** A  
Sancti Petri Canisii, Sacerdotis e Societate Jesu et Confessoris atque Ecclesiae Doctoris; qui duodecimo Kalendas Januarii migravit ad Dominum.

Nicomediae natalis sancti Anthimi, Episcopi et Martyris; qui in persecutione Diocletiani, ob confessionem Christi, martyrii gloriam obtruncatione capitis accepit. Secuta est quoque illum universa ferme gregis sui multitudo; quorum alios Judex gladio obtruncari, alios conflagrari ignibus, alios, naviculis impositos, pelago immergi fecit.

Tarsi, in Cilicia, sanctorum Castoris et Stephani Martyrum.

Bononiae sancti Tertulliani, Episcopi et Confessoris.

Brixiae sancti Theophili Episcopi.

In Aegypto sancti Theodori Abbatis, qui fuit discipulus sancti Pachomii.

Constantinopoli sancti Joannis Abbatis, qui pro cultu sacrarum Imaginum, sub Leone Isaurico, plurimum decertavit.

Tarracone, in Hispania, beati Petri Armengaudii, ex Ordine beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum; qui, multa pro fidelibus redimendis in Africa passus, tandem, in conventu sanctæ Mariæ Pratorum, beato fine quievit.

Lucae, in Tuscia, beatæ Zitæ Virginis, virtutum et miraculorum fama conspicuae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Aprilis**

**Quarto Kalendas Maji.**

**xxvij. B**

Sancti Pauli a Cruce, Presbyteri et Confessoris; qui Congregationis a Cruce et Passione Domini nostri Jesu Christi nuncupatae Institutor fuit, atque in Domino obdormivit quintodecimo Kalendas Novembris.

Ravennae natalis sancti Vitalis Martyris, viri sanctæ Valeriae ac patris sanctorum Gervasii et Protasii; qui, cum beati Ursicini corpus sublatum debita honestate sepelisset, tentus est a Paulino Consulari, et, post equulei tormenta, jussus deponi in profundam foveam, et terra ac lapidibus obrui; talique martyrio migravit ad Christum.

Atinae, in Campania, sancti Marci, qui, a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, Aequicolis primus Evangelium praedicavit, et in persecutione Domitiani, sub Maximo Praeside, martyrii coronam accepit.

Prusae, in Bithynia, sanctorum Martyrum Patricii Episcopi,

Acatii, Menandri et Polyaeni.

Eodem die sanctorum Martyrum Aphrodisii, Caralippi, Agapii et Eusebii.

In Pannonia sancti Pollionis Martyris, sub Diocletiano Imperatore.

Mediolani sanctae Valeriae Martyris, uxoris sancti Vitalis ac matris sanctorum Gervasii et Protasii.

Alexandriae passio sanctae Theodoraе, Virginis et Martyris. Haec, idolis sacrificare contemnens, in lupanar est tradita, sed repente quidam ex fratribus, nomine Didymus, miro Dei favore, commutatis vestibus, illam eripuit; qui postea, in persecutione Diocletiani, sub Eustratio Praeside, simul cum eadem Virgine percussus, simul coronatus est.

Turiasone, in Hispania Tarraconensi, sancti Prudentii, Episcopi et Confessoris.

Corfinii, in Pelignis, sancti Pamphili, Valvensis Episcopi, caritate in pauperes et virtute miraculorum illustris; cujus corpus Sulmone conditum est.

In pago sancti Laurentii ad Separim, dioecesis Lucionensis, sancti Ludovici Mariae Grignon a Montfort, Confessoris, Fundatoris Missionariorum Societatis Mariae et Filiarum a Sapientia, apostolicae vitae forma, praedicatione et devotione mariali insignis, quem Pius Papa Duodecimus Sanctorum catalogo adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Aprilis**

**Tertio Kalendas Maji.**

**xxvj. C**

Sancti Petri, ex Ordine Praedicatorum, Martyris, qui octavo Idus Aprilis pro fide catholica martyrium subiit.

Romae natalis sanctae Catharinae Senensis Virginis, ex tertio Ordine sancti Dominici, vita et miraculis clarae, quam Pius Secundus, Pontifex Maximus, sanctarum Virginum numero adscripsit. Ipsius tamen festum sequenti die celebratur.

Apud Paphum, in Cypro, sancti Tychici, qui fuit discipulus beati Pauli Apostoli, et ab ipso Apostolo in suis Epistolis carissimus frater, minister fidelis suusque in Domino conservus appellatur.

Pisis, in Tuscia, sancti Torpetis Martyris, qui magnus in officio Neronis primum fuit, unusque ex his, de quibus idem Paulus Apostolus ab urbe Roma ad Philippenses scribit: «Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt». Sed postea, pro fide Christi, iubente Satellico, alapis caeditur, verberibus durissime afficitur, ac bestiis devorandus traditur, sed minime lsetitur; tandem martyrium suum decollatione complevit.

Cirthae, in Numidia, natalis sanctorum Martyrum Agapii et Secundini Episcoporum, qui, post longum apud praefatam urbem exsilium, in persecutione Valeriani, in qua tunc

maxime Gentilium rabies ad tentandam justorum fidem inhiabat, ex illustri sacerdotio effecti sunt Martyres gloriosi. Passi sunt in eorum collegio Aemilianus miles, Tertulla et Antonia, quae erant sacrae Virgines, et quaedam mulier cum suis geminis.

In insula Corcyra sanctorum septem Latronum, qui, a sancto Jasone ad Christum conversi, martyrio vitam adepti sunt sempiternam.

Neapoli, in Campania, sancti Severi Episcopi, qui, inter alia admiranda, mortuum de sepulcro excitavit ad tempus, ut mendacem viduae et pupillorum creditorem argueret falsitatis.

Brixiae sancti Paulini, Episcopi et Confessoris.

In coenobio Cluniacensi, in Gallia, sancti Hugonis Abbatis.

In monasterio Molismensi, in Gallia, sancti Roberti, qui fuit primus Abbas Cistercii.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Aprilis**

**Pridie Kalendas Maji.**

**xxv. D**

Sanctae Catharinae Senensis Virginis, ex tertio Ordine sancti Dominici, quae ad caelestem Sponsum transivit pridie hujus diei.

Apud Santonas, in Gallia, beati Eutropii, Episcopi et Martyris, qui, a sancto Clemente Papa, ordinis pontificalis gratia consecratus, in Galliam directus est, ibique, peracta diu praedicatione, tandem, ob Christi testimonium, colliso capite, victor occubuit.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Amatoris Presbyteri, Petri Monachi, et Ludovici.

Novariae sancti Laurentii Presbyteri, et puerorum Martyrum, quos ille susceperat educandos.

Alexandriae sanctorum Martyrum Aphrodisii Presbyteri, et aliorum triginta.

Lambesae, in Numidia, natalis sanctorum Martyrum Mariani Lectoris, et Jacobi Diaconi. Horum prior, cum infestationes jam pridem Decianae persecutionis in confessione Christi vicisset, iterum cum clarissimo collega tentus est; et ambo, post dira et exquisita supplicia, mirabiliter divinis revelationibus secundo confortati, novissime, cum multis aliis, gladio consummati sunt.

Ephesi sancti Maximi Martyris, qui in persecutione Decii coronatus est.

Firmi, in Piceno, sanctae Sophiae, Virginis et Martyris.

Evoreae, in Epiro, sancti Donati Episcopi, qui, tempore Theodosii Imperatoris, eximia sanctitate refulsit.

Neapoli, in Campania, sancti Pomponii Episcopi.

Londini, in Anglia, sancti Erconvaldi Episcopi, qui multis miraculis claruit.

Cherii, apud Augustam Taurinorum, sancti Josephi Benedicti Cottolengo, Confessoris, Parvae Domus a Divina Providentia Fundatoris, summa in Deum confidentia et caritate in pauperes insignis, quem Pius Papa Undecimus Sanctorum fastis adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.



# Maji

**1 Maji**

**Kalendis Maji.**

**xxij. A**

Solemnitas sancti Joseph Opificis, Sponsi beatæ Mariæ Virginis, Confessoris, opificum Patroni.

Romæ natalis sancti Pii Quinti, ex Ordine Praedicatorum, Papæ et Confessoris; qui, ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ, hæresibus extirpandis et Christiani nominis hostibus conterendis strenue ac feliciter incumbens, vitæ ac legum sanctitate catholicam Ecclesiam gubernavit. Ipsius autem festivitas tertio Nonas mensis hujus celebratur.

In Aegypto sancti Jeremiæ Prophetæ, qui, a populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est; ad cujus sepulcrum fideles (ut refert sanctus Epiphanius) supplicare consueverunt, indeque sumpto pulvere, aspidum morsibus medentur.

In territorio Vivariensi, in Galliis, beati Andeoli Subdiaconi, qui, una cum aliis, a beato Polycarpo, Smyrnensi Episcopo, ex Oriente in Galliam ad prædicandum verbum Dei missus est. Hic, sub Severo Imperatore, spinosis fustibus caesus, demum, per ensem ligneum capite in quatuor partes in modum crucis conscisso, martyrium consummavit.

Oscae, in Hispania, sanctorum Martyrum Orentii et Patientiae.

Apud Columnnam vicum, in Aurelianensi Galliae territorio, passio sancti Sigismundi, Regis Burgundionum, qui in puteum demersus occubuit, ac postea miraculis claruit. Sacrum vero ipsius corpus, e puteo tandem extractum, ad Ecclesiam Agaunensis monasterii, intra Sedunensis dioecesis terminos siti, delatum est ibique honorifice collocatum.

Antisiodori sancti Amatoris, Episcopi et Confessoris.

Auscii, in Gallia, sancti Orientii Episcopi.

Elviae, in Anglia, sancti Asaphi Episcopi, cujus nomine ipsa civitas Episcopalis postmodum est insignita.

Foro Livii sancti Peregrini, ex Ordine Servorum beatae Mariae Virginis.

Bergomi sanctae Gratae Viduae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Maji**

**Sexto Nonas Maji.**

**xxj. B**

Alexandriae natalis sancti Athanasii, ejusdem urbis Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, sanctitate et doctrina clarissimi; in cujus persecutionem universus fere

Orbis conjuraverat. Ipse tamen catholicam fidem, a tempore Constantini usque ad Valentem, adversus Imperatores ac Praesides et innumeros Episcopos Arianos strenue propugnavit; a quibus plurimas perpressus insidias, profugus toto Orbe actus est, nec ullus ei tutus ad latendum supererat locus. Tandem, ad suam Ecclesiam reversus, illic, post multos agones multasque patientiae coronas, quadragesimo sexto sui sacerdotii anno migravit ad Dominum, tempore Valentiniani et Valentis Imperatorum.

Florentiae item natalis sancti Antonini, ex Ordine Praedicatorum, Episcopi et Confessoris, doctrina et sanctitate celebris. Ipsius autem festivitas sexto Idus mensis hujus recolitur.

Romae sanctorum Martyrum Saturnini, Neopoli, Germani et Caelestini, qui, multa passi, in carcerem demum conjecti, ibi in Domino quieverunt.

Eodem die sancti Vindemialis, Episcopi et Martyris, qui, una cum sanctis Episcopis Eugenio et Longino doctrina et miraculis adversus Arianos decertans, a Rege Wandalorum Hunnerico jubetur variis tormentis affligi ac tandem capite obruncari.

Hispali, in Hispania, sancti Felicis, Diaconi et Martyris.

Attaliae, in Pamphylia, sanctorum Martyrum Exsuperii, et Zoes uxoris, atque Cyriaci et Theoduli filiorum; qui, sub Hadriano Imperatore, cum servi essent cujusdam viri Pagani, omnes, ipso hero jubente, ob liberam Christianae fidei professionem, primum verberati sunt ac vehementer

torti, deinde, in accensum clibanum injecti, animas suas Deo tradiderunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Maji**

**Quinto Nonas Maji.**

**vij. E**

Hierosolymis Inventio sacrosanctae Crucis Dominicae, sub Constantino Imperatore.

Romae, via Nomentana, passio sanctorum Martyrum Alexandri Papae Primi, Eventii et Theoduli Presbyterorum. Ex his Alexander, sub Hadriano Principe et Aureliano Iudice, post vincula, carceres, equuleum, ungulas et ignes, punctis creberrimis per tota membra confossus ac peremptus est; Eventius vero et Theodulus, post longos carceres, ignibus examinati, ad ultimum decollati sunt. Narniae sancti Juvenalis, Episcopi et Confessoris.

Apud montem Senarium, in Etruria, natalis sanctorum Sostenaei et Uguccionis Confessorum, e septem Fundatoribus Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis; qui, caelitus admoniti, eadem die et hora, salutationem Angelicam recitantes, e vita migrarunt. Ipsorum autem ac Sociorum festum pridie Idus Februarii celebratur.

Constantinopoli sanctorum Martyrum Alexandri militis, et Antoninae Virginis. Haec, in persecutione Maximiani, sub Praeside Festo, ad lupanar damnata, et ab Alexandro, qui pro ipsa ibi remanserat, mutatis vestibibus clam educta, cum

eo postmodum iussa est torqueri; et ambo simul in ignem, praecisis manibus, pro Christo sunt injecti, atque ita, egregio peracto certamine, coronantur.

In Thebaide sanctorum Martyrum Timothei et Maurae conjugis, quos Arianus Praefectus, post multa tormenta, cruci iussit affigi; in qua, per novem dies cum vivi pependissent ac se ipsos in fide roborassent, martyrium consummarunt.

Aphrodisiae, in Caria, sanctorum Martyrum Diodori et Rhodopiani, qui, in persecutione Diocletiani Imperatoris, a civibus suis lapidati sunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Maji**

**Quarto Nonas Maji.**

**vij. F**

Apud Ostia Tiberina sanctae Monicae, beati Augustini matris, cujus ille praeclaram vitam, in libro nono Confessionum, testatam reliquit.

In metallo Phennensi Palaestinae natalis beati Silvani, Gazae Episcopi, qui, in Diocletiani Imperatoris persecutione, Galerii Maximiani Caesaris mandato, cum plurimis suis Clericis, martyrio coronatus est.

Hierosolymis sancti Cyriaci Episcopi, qui, cum loca sancta visitaret, ibidem, sub Juliano Apostata, caesus est.

Camerini sancti Porphyrii, Presbyteri et Martyris, qui, sub Decio Imperatore et Antiocho Praeside, cum plurimos (in quibus fuit Venantius) ad Christi fidem convertisset, capite amputatus est.

In metallo Phennensi Palaestinae sanctorum triginta novem Martyrum, qui, ad metalla damnati, demum, post adustionem candentis ferri et alia tormenta, simul capite caesi sunt.

Laureaci, in Norico Ripensi, sancti Floriani Martyris, qui, sub Diocletiano Imperatore, Aquilini Praesidis jussu, in flumen Anisum, ligato ad collum saxo, praecipitatus est.

Coloniae Agrippinae sancti Paulini Martyris.

Tarsi, in Cilicia, sanctae Pelagiae, Virginis et Martyris, quae, sub Diocletiano Imperatore, in bovem aeneum candentem inclusa, martyrium complevit.

Nicomediae natalis sanctae Antoniae Martyris, quae, nimium torta et variis afflicta cruciatibus, altero brachio tribus suspensa diebus, et in carcere biennio detenta, ad ultimum a Priscilliano Praeside, in confessione Domini, flammis exusta est.

Mediolani sancti Venerii Episcopi, cujus virtutes sanctus Joannes Chrysostomus, in epistola ad eum scripta, testatas reliquit.

In territorio Petragoricensi sancti Sacerdotis, Episcopi Lemovicensis.

Hildeshemii, in Saxonia, sancti Godehardi, Episcopi et Confessoris, qui ab Innocentio Papa Secundo in Sanctorum censum relatus est.

Antisiodori sancti Curcodomi Diaconi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Maji**

**Tertio Nonas Maji.**

**vij. G**

Sancti Pii Quinti, ex Ordine Praedicatorum, Papae et Confessoris, qui Kalendis mensis hujus obdormivit in Domino.

Romae sancti Silvani Martyris.

Item Romae sanctae Crescentianae Martyris.

Leocatae, in Sicilia, sancti Angeli, ex Ordine Carmelitarum, Presbyteri et Martyris, qui ab haereticis, ob defensionem catholicae fidei, trucidatus est.

Alexandriae sancti Euthymii Diaconi, qui ob Christum quievit in carcere.

Antisiodori passio sancti Joviniani Lectoris.

Thessalonicae natalis sanctorum Martyrum Irenaei, Peregrini et Irenes, qui, ignibus combusti, palmas martyrii perceperunt.

Hierosolymis sancti Maximi Episcopi, qui a Maximiano Galerio Caesare, post oculum effossum pedemque ignito ferro adustum, ad metalla damnatus est; atque, liber inde abire permissus et Ecclesiae Hierosolymitanae praepositus, ibi, confessionis gloria praeclarus, in pace tandem quievit. Edessae, in Syria, sancti Eulogii, Episcopi et Confessoris.

Arelate, in Gallia, sancti Hilarii Episcopi, doctrina et sanctitate conspicuL

Viennae, in Gallia, sancti Niceti Episcopi, venerabilis sanctitatis viri.

Bononia; sancti Theodori Episcopi, meritis clari.

Mediolani sancti Geruntii Episcopi.

Eodem die sancti Sacerdotis, Episcopi Saguntini.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Maji**

**Pridie Nonas Maji.**

**vij. A**

Romae sancti Joannis, Apostoli et Evangelistae, ante Portam Latinam; qui, ab Epheso, jussu Domitiani, vinctus Romam est perductus, et, judicante Senatu, ante eandem portam in olei ferventis dolium missus, exivit inde purior et vegetior quam intravit.



Damasci natalis beati Joannis Damasceni, Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, doctrina et sanctitate celebris. Hic, pro cultu sanctarum Imaginum, verbo et scriptis adversus Leonem Isauricum strenue decertavit; cujus Imperatoris ob calumnias cum ipsi Joanni dextera manus a Saracenorum Principe amputata esset, idem, beatae Mariae Virgini, cujus Imagines defenderat, se commendans, protinus dexteram integram sanamque recepit. Ejus autem festivitas sexto Kalendas Aprilis celebratur.

Cyrene, in Libya, sancti Lucii Episcopi, quem in Actibus Apostolorum sanctus Lucas commemorat.

Antiochiae sancti Evodii, qui (ut beatus Ignatius ad Antiochenses scribit), primus ibidem a sancto Petro Apostolo ordinatus Episcopus, glorioso martyrio vitam finivit.

In Africa sanctorum Martyrum Heliodori et Venusti, cum aliis septuaginta quinque.

In Cypro sancti Theodoti, Episcopi Cyrinae, qui, sub Licinio Imperatore, gravissima passus est, ac tandem, in Ecclesiae pace, spiritum Deo reddidit.

Carrhis, in Mesopotamia, sancti Protogenis, Episcopi et Confessoris.

In Anglia sancti Eadberti, Episcopi Lindisfarnensis, doctrina et pietate insignis.

Romae sanctae Benedictae Virginis.

Salerni Translatio sancti Matthaei, Apostoli et Evangelistae; cujus sacrum corpus, olim ex Aethiopia ad diversas regiones et demum ad eam urbem delatum, ibidem, in dedicata ejus nomine Ecclesia, summo honore conditum fuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Maji**

**Nonas Maji.**

**vij. B**

Sancti Stanislai, Episcopi Cracoviensis et Martyris, qui sequenti die coronam martyrii consecutus est.

Tarracinae, in Campania, natalis beatae Flaviae Domitillae, Virginis et Martyris; quae, cum esset filia sanctae Plautillae, sororis sancti Martyris Flavii Clementis Consulis, et sacro velamine fuisset a sancto Clemente Pontifice consecrata, primum, in persecutione Domitiani, ob testimonium Christi, in insulam Pontiam, cum aliis plurimis, exsilio deportata, longum illic martyrium duxit. Novissime vero, Tarracinam deducta, ibi, cum plurimos doctrina et miraculis ad Christi fidem convertisset, Judicis jussu incenso cubiculo, in quo simul cum suis virginibus Euphrosyna et Theodora morabatur, cursum gloriosi martyrii consummavit. Ipsa vero Domitilla, una cum sanctis Martyribus Nereo et Achilleo atque Pancratio, festiva celebritate quarto Idus mensis hujus recolitur.

Eodem die sancti Juvenalis Martyris.

Nicomediae sanctorum Martyrum fratrum Flavii, Augusti et Augustini.

Ibidem sancti Quadrati Martyris, qui, in persecutione Decii Imperatoris, saepius ad tormenta repetitus, demum, capite truncatus, martyrium complevit.

Eboraci, in Anglia, sancti Joannis Episcopi, vita et miraculis clari.

Papiae sancti Petri Episcopi.

Romae Translatio corporis sancti Stephani Protomartyris, quod, Pelagio Primo Summo Pontifice, e Constantinopoli ad Urbem allatum atque in sepulcro sancti Laurentii Martyris in agro Verano positum, ibidem magna piorum religione colitur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Maji**

**Octavo Idus Maji.**

**vij. C**

In monte Gargano Apparitio sancti Michaelis Archangeli, quem Pius Papa Duodecimus Radiologis et Radiumtherapeuticis Patronum et Protectorem constituit.

Cracoviae, in Polonia, natalis sancti Stanislai, Episcopi et Martyris, qui a Boleslao, impio Rege, necatus est. Ipsius

autem festum pridie hujus diei celebratur.

Mediolani item natalis sancti Victoris Martyris, qui, natione Maurus et a primaeva aetate Christianus, a Maximiano, cum esset in castris imperialibus miles, compulsus ut idolis sacrificaret, et in confessione Domini fortissime perseverans, ideo, primum graviter fustibus caesus, sed, Deo protegente, doloris expers; deinde liquenti plumbo perfusus, sed nihil penitus laesus; novissime gloriosi martyrii cursum, capite abscissus, implevit.

Constantinopoli sancti Agathii Centurionis, qui, in persecutione Diocletidni et Maximiani, a Firmo Tribuno delatus quod Christianus esset, et a Judice Perinthi Bibiano saevissime tortus, Byzantii demum a Proconsule Flaccino saepius damnatus est. Ipsius corpus ad Scyllacium littus, in Calabria, divinitus postea delatum est, atque ibi honorifice asservatum.

Romae sancti Bonifatii Papae Quarti, qui Pantheon in honorem beatae Mariae ad Martyres dedicavit.

Item Romae sancti Benedicti Secundi, Papae et Confessoris.

Viennae, in Gallia, sancti Dionysii, Episcopi et Confessoris.

Antisiodori sancti Helladii Episcopi.

In monasterio Bellae Vallis, in territorio Bisuntino, sancti Petri, qui ex Monacho Cisterciensi factus est Tarentasiensis in Sabaudia Episcopus.

Apud Ruraemondam, in Geldria, sancti Wironis, Episcopi Scoti.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Maji**

**Septimo Idus Maji.**

**vij. D**

Nazianzi, in Cappadocia, natalis beati Gregorii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, ob singularem divinarum rerum doctrinam cognomento Theologi; qui collapsam Constantinopoli catholicam fidem, ipsius urbis Episcopatum gerens, restituit, haeresesque insurgentes compressit.

Romae sancti Hermae, cujus Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos meminit. Ipse autem Hermas, digne semetipsum sacrificans acceptabilisque Deo hostia factus, virtutibus clarus caelestia regna petivit.

Callii, via Flaminia, passio sancti Gerontii, Episcopi Ficoclenensis.

In Perside sanctorum Martyrum trecentorum et decem.

In Aegypto sancti Pachomii Abbatis, qui plurima erexit in ea regione monasteria, et regulam Monachorum scripsit, quam ab Angelo dictante didicerat.

In castro Vindecino, in Gallia, depositio sancti Beati

Confessoris.

Bononiae beati Nicolai Albergati, Monachi Carthusiani, ejusdem civitatis Episcopi et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, sanctitate et Apostolicis Legationibus clari; cujus corpus Florentiae, apud Carthusianos, conditum est.

Constantinopoli Translatio sanctorum Andreae Apostoli, et Lucae Evangelistae de Achaja; et Timothei, unius ex discipulis beati Pauli Apostoli, ab Epheso. Corpus autem sancti Andreae, longo post tempore Amalphim devectum, ibi pio fidelium concursu honoratur; ex cujus sepulcro liquor ad languores curandos jugiter manat.

Romae item Translatio sancti Hieronymi Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, ex Bethlehem Judae ad Basilicam sanctae Mariae ad Praesepe.

Barii quoque, in Apulia, Translatio sancti Nicolai, Episcopi et Confessoris, e Myra, civitate Lyciae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Maji**

**Sexto Idus Maji.**

**vij. E**

Sancti Antonini, ex Ordine Praedicatorum, Episcopi Florentini et Confessoris, cujus dies natalis sexto Nonas mensis hujus recensetur.

Romae, via Latina, natalis sanctorum Martyrum Gordiani et

Epimachi, quorum prior, pro confessione nominis Christi, tempore Juliani Apostatae, diu plumbatis csesus et ad ultimum capite truncatus, noctu a Christianis sepultus eadem via fuit in crypta, in quam beati Epimachi Martyris reliquiae paulo ante translatae fuerant ab Alexandria, ubi ipse, pro Christi fide, martyrium compleverat pridie Idus Decembris.

In terra Hus sancti Job Prophetae, admirandae patientiae viri.

Romae beati Calepodii, Presbyteri et Martyris; quem Alexander Imperator gladio fecit occidi, et corpus ejus per civitatem trahi, atque in Tiberim jactari, quod inventum Callistus Papa sepelivit. Decollatus est etiam Palmatius Consul cum uxore et filiis et aliis promiscui sexus quadraginta duobus de domo sua, Simplicius quoque Senator cum uxore et sexaginta octo de familia sua, item et Felix cum uxore sua Blanda; quorum capita suspensa sunt per diversas portas Urbis, ad exemplum Christianorum.

Item Romae, via Latina, ad Centum Aulas, natalis sanctorum Martyrum Quarti et Quincti, quorum corpora Capuam translata sunt.

Apud Leontinos, in Sicilia, sanctorum Martyrum Alphii, Philadelphi et Cyrini.

Smyrnae sancti Dioscoridis Martyris.

Apud Tarentum sancti Cataldi Episcopi, miraculis clari.

Matriti sancti Isidori Agricolae, quem, miraculis clarum, Gregorius Papa Decimus quintus, una cum sanctis Ignatio, Francisco Xaverio, Teresia et Philippo Nerio, in Sanctorum numerum retulit.

Mediolani Inventio sanctorum Martyrum Nazarii et Celsi, in qua beatus Ambrosius Episcopus corpus sancti Nazarii recenti adhuc sanguine conspersum reperit, atque ad Basilicam Apostolorum transtulit, una cum corpore beati Celsi pueri, quem idem ipse Nazarius nutrierat, et Anolinus, in Neronis persecutione, simul cum eo feriri gladio jusserat quinto Kalendas Augusti; quo die festivitas gloriosi eorum martyrii celebratur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Maji**

**Quinto Idus Maji.**

**xiv. F**

Natalis beatorum Philippi et Jacobi Apostolorum. Ex his Philippus, cum omnem fere Scythiam ad Christi fidem convertisset, tandem apud Hierapolim, Asiae civitatem, cruci affixus et lapidibus obrutus, glorioso fine quievit; Jacobus vero, qui et frater Domini legitur et primus Hierosolymorum Episcopus, e pinna Templi praecipitatus, confractis inde cruribus, ac fullonis fuste in cerebro percussus, interiit, ibique, non longe a Templo sepultus est.

Romae, via Salaria, item natalis beati Anthimi Presbyteri, qui, post virtutum et praedicationis insignia, in persecutione



Diocletiani, in Tiberim praecipitatus, et ab Angelo exinde ereptus, oratorio proprio restitutus est; deinde, capite punitus, victor migravit ad caelos.

Ibidem sancti Evellii Martyris, qui, cum esset de familia Neronis, ad passionem sancti Torpetis in Christum credidit, pro quo et decollatus est.

Item Romae sanctorum Martyrum Maximi, Bassi et Fabii; qui sub Diocletiano, via Salaria, caesi sunt.

Auximi, in Piceno, sanctorum Martyrum Sisinii Diaconi, Diocletii et Florentii, discipulorum sancti Anthimi Presbyteri; qui, sub Diocletiano, lapidibus obruti, martyrium compleverunt.

Camerini sanctorum Martyrum Anastasii et Sociorum; qui, in persecutione Decii, sub Antiocho Praeside, caesi sunt.

Varennis, in Gallia, sancti Gangulphi Martyris.

Viennae, in Gallia, sancti Mamerti Episcopi, qui, ob imminentem cladem, solemnes ante Ascensionem Domini triduanas in ea urbe Litanias instituit; quem ritum postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit.

Apud Silviniacum, in Gallia, depositio sancti Majoli, Abbatis Cluniacensis, cujus vita sanctis meritis fuit praeclara.

Neapoli, in Campania, sancti Francisci de Hieronymo, in Tarentinae dioecesis oppido Cryptaleorum orti, Sacerdotis e

Societate Jesu et Confessoris, eximiae in salute animarum procuranda caritatis et patientiae viri; quem Gregorius Papa Decimus sextus in Sanctorum canonem retulit.

Apud Septempedanos, in Piceno, sancti Illuminati Confessoris.

Carali, in Sardinia, sancti Ignatii a Laconi, Confessoris, ex Ordine Minorum Capuccinorum, humilitate, caritate et miraculis praeclari, quem Pius Papa Duodecimus Sanctorum honoribus decoravit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Maji**

**Quarto Idus Maji.**

**xij. G**

Romae, via Ardeatina, sanctorum Martyrum Nerei et Achillei fratrum, qui primo cum Flavia Domitilla, cujus erant eunuchi, in insula Pontia longum pro Christo duxerunt exsilium; postmodum gravissimis verberibus atrectati sunt; deinde, cum a Minutio Rufo, viro Consulari, equuleo et flammis ad immolandum compellerentur, dicerentque se, a beato Petro Apostolo baptizatos, nulla ratione posse idolis immolare, capite caesi sunt. Horum sacrae reliquiae, simulque Flaviae Domitillae, ex Diaconia sancti Hadriani in antiquum eorum Titulum, ubi asservabantur olim reconditae, denuo restauratum, solemniter translatae sunt pridie hujus diei, jussu Clementis Papae Octavi; qui exinde hodierna celebrandum die indixit etiam festum ipsius beatae Domitillae Virginis, cujus passio Nonis hujus mensis

recensetur.

Item Romae, via Aurelia, sancti Pancratii Martyris, qui, cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano, capitis obruncatione martyrium complevit.

Salaminas, in Cypro, sancti Epiphanii Episcopi, qui, multiplici eruditione et sacrarum scientia litterarum excellens, vitae quoque sanctitate, zelo catholicae fidei, munificentia in pauperes et virtute miraculorum existit admirandus.

Constantinopoli sancti Germani Episcopi, doctrina et virtutibus insignis, qui Leonem Isauricum, edictum adversus sacras Imagines promulgantem, magna fiducia redarguit.

Treviris sancti Modoaldi Episcopi.

Romae sancti Dionysii, qui existit patruus sancti Pancratii Martyris.

Argyrii, in Sicilia, sancti Philippi Presbyteri, qui, a Romano Pontifice ad eandem Siciliam insulam missus, magnam illius partem convertit ad Christum. Ipsius vero sanctitas in liberandis energumenis maxime declaratur.

In civitate Calciatensi, in Hispania, sancti Dominici Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

Sancti Roberti Bellarmino, e Societate Jesu, Cardinalis atque olim Episcopi Capuani, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, cujus dies natalis decimo quinto Kalendas Octobris recensetur.

Romae Dedicatio Ecclesiae sanctae Mariae ad Martyres, quam beatus Bonifatius Papa Quartus, expurgato deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem beatae semper Virginis Mariae et omnium Martyrum dedicavit, tempore Phocae Imperatoris. Ipsius vero Dedicacionis annuam solemnitatem postmodum Summus Pontifex Gregorius item Quartus ab universa Ecclesia, et in honorem quidem omnium Sanctorum, Kalendis Novembris agendam esse constituit.

Constantinopoli beati Mucii, Presbyteri et Martyris; qui, sub Diocletiano Imperatore et Laudicio Proconsule, prius Amphipoli, in Macedonia, multis poenis atque cruciatibus ob Christi confessionem afflictus, postea, Byzantium usque perductus, capitali sententia occubuit.

Alexandriae commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui, ob fidem catholicam, ab Arianis in Ecclesia Theonae occisi sunt.

Heracleae, in Thracia, sanctae Glyceriae, Martyris Romanae, quae, sub Antonino Imperatore et Sabino Praeside, cum fuisset plurimis ac diris tentata suppliciis et ab his divina ope incolumis evasisset, tandem feris est

objecta, earumque una, morsum corpori ipsius infigente, spiritum Deo reddidit.

Apud Trajectum sancti Servatii, Tungrensis Ecclesiae Episcopi; ad cuius meritum omnibus demonstrandum, dum tempore hiemis omnia in circuitu nix repleret, sepulcrum ejus numquam operuit, donec, ex industria civium, Basilica super illud aedificata est.

In Palaestina sancti Joannis Silentiarii, qui, Coloniensi in Armenia Episcopatu dimisso, in sancti Sabbae laura monasticam vitam duxit, et sancto fine quievit.

Podii, in dioecesi Pictaviensi, sancti Andreae Huberti Fournet, Confessoris, olim parochi, Instituti Filiarum a Cruce una cum sancta Elisabeth Bichier des Ages Fundatoris, quem Pius Papa Undecimus Sanctorum fastis adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Maji**

**Pridie Idus Maji.**

**xj. B**

Tarsi, in Cilicia, natalis sancti Bonifatii Martyris, qui, sub Diocletiano et Maximiano passus, deinde Romam advectus, via Latina sepultus est.

In Gallia sancti Pontii Martyris, cujus praedicatione et industria postquam duo Philippi Csesares ad Christi fidem conversi sunt, ipse, sub Valeriano et Gallieno Principibus,

martyrii palmam adeptus est.

In Syria sanctorum Martyrum Victoris et Coronae, sub Antonino Imperatore; ex quibus Victor a Sebastiano Iudice variis et horrendis affectus est cruciatibus. Cum autem ipsum Corona, uxor cujusdam militis, coepisset beatum praedicare ob martyrii constantiam, vidit duas coronas de caelo lapsas, unam Victori et alteram sibi missam; cumque hoc audientibus cunctis testaretur, ipsa quidem inter arbores scissa, Victor vero decollatus est.

In Sardinia sanctarum Martyrum Justae, Justinae et Henedinae.

Ferenti, in Tuscia, sancti Bonifatii Episcopi, qui (ut refert beatus Gregorius Papa) sanctitate et miraculis a pueritia claruit.

In pago Betharram, dioecesis Baionensis, sancti Michaelis Gari-coits, Confessoris, Congregationis Presbyterorum Missionariorum a Sacro Corde Jesu Fundatoris, apostolico zelo insignis, quem Pius Papa Duodecimus Sanctorum fastis adscripsit.

Niciae, in Subalpinis, sanctae Mariae Dominicae Mazzarello, Confundatricis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis, quae, humilitate, prudentia et caritate praeclara, in album sanctarum Virginum a Pio Papa Duodecimo fuit relata.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Maji**

**Idibus Maji.**

**x. C**

Sancti Joannis Baptistae de La Salle, Presbyteri et Confessoris, qui Sodalitatis Fratrum Scholarum Christianarum fuit Institutor, ac septimo Idus Aprilis obdormivit in Domino.

In Hispania sanctorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Caecilii, Hesychii et Euphrasii; qui Romae a sanctis Apostolis Episcopi ordinati, et ad praedicandum verbum Dei in Hispanias directi sunt. Cum autem hi variis urbibus evangelizassent, et innumeras multitudines ad Christi fidem perduxissent, diversis in ea provincia locis quieverunt; scilicet Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulae, Indaletius Urce, Caecilius Illiberi, Hesychius Cartejae et Euphrasius Illiturgi.

Fausinae, in Sardinia, sancti Simplicii, Episcopi et Martyris, qui, Diocletiani tempore, sub Barbaro Praeside, perfoesus lancea martyrium consummavit.

Eborae, in Lusitania, sancti Mancii Martyris.

In insula Chio natalis beati Isidori Martyris, in cujus Basilica exstat puteus, in quem fertur fuisse iniectus, de cujus aqua infirmi potati sapius sanantur.

Lampsaci, in Hellesponto, passio sanctorum Petri, Andreae, Pauli et Dionysiae.

Arvernīs, in Gallia, sanctorum Martyrum Cassii, Victorini, Maximi et Sociorum.

Ghelaē, in Brabantia, sanctae Dympnae, Virginis et Martyris, filiae Regis Hibernorum; quae, cum in fide Christi et virginitate servanda permaneret immobilis, a patre jussa est decollari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Maji**      **Decimo septimo Kalendas Junii.**    **ix. D**

Eugubii sancti Ubaldi, Episcopi et Confessoris, miraculis clari.

Antisiodori passio sancti Peregrini, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus. Hic, a beato Xysto Papa Secundo in Gallias, una cum aliis Clericis, missus, ibi, Evangelicae praedicationis munere expleto, capitali sententia damnatus coronam meruit sempiternam.

In Perside sanctorum Martyrum Audae Episcopi, septem Presbyterorum, novem Diaconorum, et septem Virginum; qui sub Isdegerde Rege, variis tormentorum generibus cruciati, gloriosum martyrium compleverunt.

Pragae, in Bohemia, sancti Joannis Nepomuceni, Metropolitanae Ecclesiae Canonici; qui, frustra tentatus ut sigilli sacramentalis fidem proderet, martyrii palmam, in



flumen Moldavam dejectus, emeruit.

In Isauria natalis sanctorum Martyrum Aquilini et Victoriani.

Uzali, in Africa, sanctorum Martyrum Felicis et Gennadii.

In Palaestina passio sanctorum Monachorum, a Saracenis in laura sancti Sabbae interfectorum.

Janoviae, apud Pinsk, in Polesia, sancti Andreae Bobola, Sacerdotis e Societate Jesu, qui, a schismaticis innumerabilia tormentorum genera perpressus, illustri martyrio coronatus est.

Ambiani, in Gallia, sancti Honorati Episcopi.

Apud Cenomanos, in Gallia, sancti Domnoli Episcopi.

Mirandulae, in Aemilia, sancti Possidii, Calamensis in Numidia Episcopi, qui fuit sancti Augustini discipulus, ejusque praeclaram vitam scripsit.

In monasterio Enachduinensi, in Hibernia, transitus sancti Brendani, Presbyteri et Clonfertensis Abbatis.

Trecis, in Gallia, sancti Fidoli Confessoris.

Apud Forum Julii, in Gallia, sanctae Maximae Virginis, quae, multis clara virtutibus, in pace quievit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Maji**

**Sextodecimo Kalendas Junii. viij. E**

Apud Villam Regalem, in Hispania, sancti Paschalis, ex Ordine Minorum, Confessoris, mirae innocentiae et poenitentiae viri; quem Leo Papa Decimus tertius caelestem eucharisticorum Coetuum et Societatum a sanctissima Eucharistia Patronum declaravit.

Novioduni, in Galliis, sanctorum Martyrum Heradii, Pauli et Aquilini, cum duobus aliis.

Chalcedone sanctorum Martyrum Solochonis et Sociorum militum, sub Maximiano Imperatore.

Alexandriae sanctorum Martyrum Adrionis, Victoris et Basillae.

Eodem die sanctae Restitutae, Virginis et Martyris; quae, in Africa, Valeriano imperante, a Proculo Judice varie torta, et in naviculam pice et stupa refertam, ut in mari combureretur, imposita, tandem, cum in incensores immisso igne, flamma converteretur, in oratione spiritum Deo reddidit. Ipsius corpus cum eadem navicula, Dei nutu, ad Aenariam insulam, prope Neapolim, in Campania, devectum est, et a Christianis magna veneratione susceptum; ac postmodum in ejus honorem Constantinus Magnus Basilicam in ipsa urbe Neapoli erigendam curavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Maji**                      **Quintodecimo Kalendas Junii.**      **vij. F**

Camerini sancti Venantii Martyris, qui, annos quindecim natus, sub Decio Imperatore et Antiocho Praeside, una cum aliis decem, gloriosi certaminis cursum, cervicibus abscissis, implevit.

Ravennae natalis sancti Joannis Primi, Papae et Martyris; qui, ab Ariano Italiae Rege Theodorico illuc dolo evocatus, ibidem, ab eo propter orthodoxam fidem diu maceratus in carcere, vitam finivit. Ipsius autem festum recolitur sexto Kalendas Junii, quo die sacrum ejus corpus, Romam relatum, in Basilica sancti Petri, Apostolorum Principis, sepultum est.

Spoleti sancti Felicis Episcopi, qui, sub Maximiano Imperatore, martyrii palmam adeptus est.

Heracleae, in Aegypto, sancti Potamonis Episcopi, qui primum, sub Maximiano Galerio, Confessor fuit; deinde, sub Constantio Imperatore et Ariano Praeside Philagrio, martyrio coronatus est. Ipsum vero beatum virum sancti Ecclesiae Patres Athanasius et Epiphanius suis laudibus celebrarunt.

In Aegypto sancti Dioscori Lectoris, in quem Praeses multa et varia tormenta ita exercuit, ut ungues ejus effoderet et lampadibus latera inflammaret, sed, caelestis luminis fulgore perterriti, ceciderunt ministri; novissime autem ipse

Dioscorus, laminis ardentibus adustus, martyrium consummavit.

Ancyrae, in Galatia, sancti Theodoti Martyris, et sanctarum septem Virginum et Martyrum, scilicet Thecusae, quae ipsius Theodoti erat amita, Alexandrae, Claudiae, Phinae, Euphrasiae, Matronae et Julittae. Hae a Praeside primum prostitutae, sed Dei virtute servatae, deinde, lapidibus ad colla ligatis, in paludem mersae sunt; quarum reliquias collectas cum Theodotus honorifice sepelisset, ideo, comprehensus a Praeside, saevissime dilaniatus est, ac demum, ense percussus, martyrii coronam accepit.

Upsali, in Suecia, sancti Erici, Regis et Martyris.

Romae sancti Felicis Confessoris, ex Ordine Minorum Capuccinorum, evangelica simplicitate et caritate conspicui; quem Clemens Undecimus, Pontifex Maximus, Sanctorum fastis adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Maji**

**Quartodecimo Kalendas Junii. vj. G**

Natalis sancti Petri de Morono Confessoris, qui, ex Anachoreta Summus Pontifex creatus, dictus est Caelestinus Quintus. Sed Pontificatu se postmodum abdicavit, et in solitudine religiosam vitam agens, virtutibus et miraculis clarus, migravit ad Dominum.

Romae sanctae Pudentianae Virginis, quae, post innumeros agones, post multorum Martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas pro Christo pauperibus erogatas, tandem de terris ad caelos migravit.

Ibidem sancti Pudentis Senatoris, qui ejusdem sanctae Pudentianae ac sanctae item Praxedis Virginis fuit pater; atque, ab Apostolis Christo in baptismo vestitus, innocentem tunicam usque ad vitae coronam immaculate custodivit.

Item Romae, via Appia, natalis sanctorum Caloceri et Parthenii eunuchorum; quorum prior, cum esset praepositus cubiculi uxoris Decii Imperatoris, posterior vero alterius muneris primicerius, et ambo nolent idolis sacrificare, idcirco, ejusdem Imperatoris jussu variis ac diris sunt excruciatii suppliciis, ac tandem, cervicibus ardenti fuste contusis, spiritum Deo tradiderunt.

Nicomediae sancti Philoteri Martyris, qui Paciani Proconsulis filius exstitit, et sub Diocletiano Imperatore, multa passus, martyrii coronam accepit.

Ibidem sanctarum sex Virginum et Martyrum, quarum praecipua erat Cyriaca, quae, cum libere Maximianum impietatis objurgasset, dirissime caesa et dilaniata est, atque ad ultimum, igne cremata, martyrium consummavit.

Cantuariae, in Anglia, sancti Dunstani Episcopi.

Lohaneti, in Britannia minore, sancti Ivonis, Presbyteri et Confessoris; qui, pro Christi amore, causas pupillorum, viduarum ac pauperum defendebat.

Ficecli, in Etruria, sancti Theophili a Curte, Confessoris, Sacerdotis Ordinis Fratrum Minorum, sacrorum recessuum propagatoris, quem Pius Papa Undecimus inter Sanctos retulit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Maji**

**Tertiodecimo Kalendas Junii. v. A**

Aquilae, in Vestinis, sancti Bernardini Senensis, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, qui verbo et exemplo Italiam illustravit.

Romae sanctae Plautillae, feminae Consularis, quae beatorum Martyrum Flavii Clementis Consulis soror et Flaviae Domitillae Virginis mater exstitit; atque, a sancto Petro Apostolo baptizata, omnium virtutum laude refulgens, quievit in pace.

Item Romae, via Salaria, natalis sanctae Basillae Virginis, quae, cum esset ex regio genere, et illustrissimum sponsum haberet illumque dimisisset, accusata fuit ab eo quod esset Christiana, et mox decretum est a Gallieno Augusto ut aut sponsum reciperet, aut gladio interiret; cumque ipsa Virgo, conventa de hoc, respondisset se Regem regum habere sponsum, gladio transverberata est.

Nemausi, in Galliis, sancti Baudelii Martyris, qui

comprehensus est a Paganis, et, cum sacrificare nollet idolis et in Christi fide inter verbera et tormenta immobilis persisteret, martyrii palmam pretiosa morte suscepit.

Edessae, apud Aegas, in Cilicia, sanctorum Martyrum Thalesei, Asterii, Alexandri et Sociorum, qui sub Numeriano Imperatore passi sunt.

In Thebaide sancti Aquilae Martyris, qui pectinibus pro Christo dilaniatus fuit.

Apud Bituricas, in Aquitania, sancti Austregisili, Episcopi et Confessoris.

Brixiae sancti Anastasii Episcopi.

Papias sancti Theodori Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Maji**

**Duodecimo Kalendas Junii. iv. B**

Sancti Valentis Episcopi, qui, una cum tribus pueris, necatus est.

Alexandriae commemoratio sanctorum Martyrum Seciindi Presbyteri, et aliorum; quos sacris diebus Pentecostes, sub Constantio Imperatore, Arianus Episcopus Georgius saevissime occidi praecepit.

In Mauritania Caesariensi natalis sanctorum Martyrum Diaconorum Timothei, Polii et Eutychii, qui, in eadem regione disseminantes verbum Dei, pariter coronari meruerunt.

Caesareae, in Cappadocia, item natalis sanctorum Martyrum Polyeucti, Victorii et Donati.

Cordubae, in Hispania, sancti Secundini Martyris.

Eodem die sanctorum Martyrum Synesii et Theopompi.

Caesareae Philippi natalis sanctorum Martyrum Nicostrati et Antiochi Tribunorum, cum aliis militibus.

Alexandriae commemoratio sanctorum Episcoporum et Presbyterorum; qui, ab Arianis exsilio relegati, sanctis Confessoribus sociari meruerunt.

Niciae, apud Varum fluvium, sancti Hospitii Confessoris, abstinentiae virtute ac prophetiae spiritu insignis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Maji**

**Undecimo Kalendas Junii. iij. C**

Romae sanctorum Martyrum Faustini, Timothei et Venusti.

In Africa sanctorum Martyrum Casti et Aemilii, qui per passionis ignem martyrium consummarunt. Hos (ut beatus



Cyprianus scribit), in prima congressione devictos, Dominus victores in secundo praelio reddidit, ut fortiores ignibus fierent qui ignibus ante cessissent.

Comanae, in Ponto, sancti Basilisci Martyris, qui, sub Maximiano Imperatore et Agrippa Praeside, ferreas calceatus crepidas, ignitis clavis confixas, multaque alia passus, demum, capite obtruncatus et in flumen projectus, martyrii gloriam consecutus est.

In Corsica sanctae Juliae Virginis, quae crucis supplicio coronata est.

In Hispania sanctae Quiteriae, Virginis et Martyris.

Ravennae sancti Marciani, Episcopi et Confessoris.

Pistorii, in Tuscia, beati Atthonis Episcopi, ex Ordine Vallis Umbrosae.

In pago Antisiodorensi beati Romani Abbatis, qui sancto Benedicto ministravit in specu; inde, in Gallias profectus, ibi, aedificato monasterio relictisque multis sanctitatis alumnis, quievit in Domino.

Apud Aquinum sancti Fulci Confessoris.

Antisiodori sanctae Helenae Virginis.

Cassiae, in Umbria, sanctae Ritae Viduae, Monialis ex Ordine Eremitarum sancti Augustini; quae, post saeculi

nuptias, aeternum sponsum Christum unice dilexit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Maji**

**Decimo Kalendas Junii.**

**ij. D**

Apud Lingonas, in Gallia, passio sancti Desiderii Episcopi, qui, cum plebem suam ab exercitu Wandalorum vexari cerneret, ad Regem eorum pro ea supplicaturus accessit; a quo statim jugulari jussus, pro ovibus sibi creditis cervicem libenter extendit, et, percussus gladio, migravit ad Christum. Passi sunt autem cum ipso et alii plures de numero gregis sui, qui apud eandem urbem conditi sunt.

In Hispania sanctorum Martyrum Epitacii Episcopi, et Basilei.

In territorio Lugdunensi sancti Desiderii, Episcopi Viennensis; qui, Theodoricus Regis jussu lapidibus obrutus, martyrio coronatur.

In Africa sanctorum Martyrum Quinctiani, Lucii et Juliani, qui, in persecutione Wandalica passi, aeternas coronas meruerunt.

In Cappadocia commemoratio sanctorum Martyrum, qui, in persecutione Maximiani Galerii, confractis curribus, necati sunt; item eorum, qui eodem tempore, in Mesopotamia, appensi pedibus in sublime, capite verso deorsum, suffocati fumo et lento igne consumpti, martyrium compleverunt.

Synnadae, in Phrygia, sancti Michaelis Episcopi.

Ipsa die sancti Mercurialis Episcopi.

Neapoli, in Campania, sancti Euphebi Episcopi.

Romae sancti Joannis Baptistae de Rossi, Presbyteri et Confessoris, patientia et caritate in evangelizandis pauperibus insignis.

Apud Nursiam sanctorum Eutychie et Florentii Monachorum, quorum meminit beatus Gregorius Papa.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Maji**

**Nono Kalendas Junii.**

**j. E**

Antiochiae natalis sancti Manahen, qui fuit Herodis Tetrarchae collactaneus, atque, Doctor et Propheta existens sub gratia novi Testamenti, in eadem urbe quievit.

Item beatae Joannae, uxoris Chusae, procuratoris Herodis, quam Lucas Evangelista commemorat.

In Portu Romano natalis sancti Vincentii Martyris.

Nannete, in Britannia minore, beatorum Martyrum Donatiani et Rogatiani fratrum, qui, sub Diocletiano

Imperatore, pro constantia fidei, in carcerem missi, et in equuleo suspensi ac laniati, deinde lancea militari confossi, novissime capite praecisi sunt.

In Istria sanctorum Martyrum Zoelli, Servilii, Felicis, Silvani et Dioclis.

Eodem die sanctorum Martyrum Meletii, ducis exercitus, ac Sociorum ejus ducentorum et quinquaginta duorum militum; qui diverso mortis genere martyrium compleverunt.

Item sanctarum Martyrum Susannae, Marcianae et Palladiae, eorumdem militum uxorum, quae, una cum parvulis suis, confractae sunt.

Mediolani sancti Robustiani Martyris.

Brixiae sanctae Aerae Martyris, quae sub Hadriano Imperatore passa est.

In monasterio Lirinensi, in Gallia, sancti Vincentii Presbyteri, doctrina et sanctitate conspicui.

Marrochii, in Africa, Beati Joannis de Prado, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Martyris; qui, in praedicatione Evangelii, post vincula, carceres, flagella plurimaeque alia tormenta, pro Christo fortiter tolerata, per ignem martyrium consummavit.

Bononiae Translatio sancti Dominici Confessoris, tempore

Gregorii Papae Noni.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Maji**

**Octavo Kalendas Junii.**

**\*. F**

Salerni depositio beati Gregorii Septimi, Papae et Confessoris, ecclesiasticae libertatis propugnatoris ac defensoris acerrimi.

Romae, via Nomentana, natalis beati Urbani Primi, Papae et Martyris, cujus exhortatione et doctrina complures (in quibus fuere Tiburtius et Valerianus) Christi susceperunt fidem, et pro ea martyrium subierunt. Ipse quoque, in persecutione Alexandri Severi, multa passus pro Ecclesia Dei, tandem, cervicibus abscissis, martyrio coronatus est.

Girvi, in Anglia, transitus sancti Bedae Venerabilis, Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, sanctitate et eruditione celeberrimi. Ipsius autem festum recolitur sexto Kalendas Junii.

Florentiae natalis sanctae Mariae-Magdalенаe de Pazzis Virginis, ex Ordine Carmelitarum, vita et sanctitate illustris. Ejus vero festivitas quarto Kalendas Junii celebratur.

Dorostori, in Mysia inferiore, item natalis sanctorum Martyrum Pasicratis, Valentionis et aliorum duorum, simul coronatorum.

Mediolani sancti Dionysii Episcopi, qui, ab Ariano Imperatore Constantio in Cappadociam pro fide catholica relegatus, ibidem, propiore Martyribus titulo, spiritum Deo reddidit. Ejus sacrum corpus ab Aurelio Episcopo transmissum est Mediolanum ad beatum Ambrosium Episcopum; cui pia actioni officium quoque sancti Basilii Magni accessisse traditur.

Florentiae natalis sancti Zenobii, ejusdem civitatis Episcopi, vitae sanctitate ac miraculorum gloria conspicui.

In Britannia sancti Aldelmi, Episcopi Schireburgensis.

In territorio Tricassino sancti Leonis Confessoris..

Lutetiae Parisiorum sanctae Magdalенаe-Sophiae Barat, Fundatricis Instituti Sororum a Sacro Corde Jesu; quae pro Christiana puellarum informatione valde adlaboravit, et a Pio Papa Undecimo in sanctarum Virginum catalogum fuit relata.

Verulis, in Hernicis, Translatio sanctae Mariae Jacobi; cujus sacrum corpus plurimis miraculis illustratur.

Assisii, in Umbria, item Translatio sancti Francisci Confessoris, tempore Gregorii Papae Noni.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Maji**

**Septimo Kalendas Junii.**

**xxix. G**

Romae sancti Philippi Nerii, Presbyteri et Confessoris, qui Congregationis Oratorii Fundator fuit, ac virginitate, prophetiae dono, et miraculis extitit insignis.

Item Romae sancti Eleutherii, Papae et Martyris, qui multos nobiles Romanorum ad fidem Christi perduxit, et sanctos Damianum et Fugatium in Britanniam misit, qui Lucium Regem, cum uxore ipsius ac toto fere populo, baptizarunt.

Cantuariae, in Anglia, natalis sancti Augustini, Episcopi et Confessoris; qui, una cum aliis, a beato Gregorio Papa missus, genti Anglorum sacrum Christi Evangelium praedicavit, ibique, virtutibus et miraculis gloriosus, obdormivit in Domino. Ejus tamen festivitas quinto Kalendas Junii recolitur.

Athenis item natalis beati Quadrati, Apostolorum discipuli, qui, in persecutione Hadriani, fide et industria sua congregans Ecclesiam grandi terrore dispersam, librum pro Christianae religionis defensione, valde utilem et Apostolica doctrina dignum, eidem Imperatori porrexit.

Romae sanctorum Martyrum Simitrii Presbyteri, et aliorum viginti duorum; qui sub Antonino Pio passi sunt.

Viennae, in Gallia, sancti Zachariae, Episcopi et Martyris, qui sub Trajano passus est.

In Africa sancti Quadrati Martyris, in cujus solemnitate sanctus Augustinus sermonem habuit.

Tuderti, in Umbria, natalis sanctorum Martyrum

Felicissimi, Heraclii et Paulini.

In territorio Antisiodorensi passio sancti Prisci Martyris, qui, cum ingenti multitudine fidelium Christi, capite csesus est.

In civitate Quitensi, Aequatorianae dicionis, sanctae Mariae Annae a Jesu de Paredes, Virginis, e tertio Ordine sancti Francisci, austeritate et in proximum caritate praeclarae, quam Pius Papa Duodecimus sanctarum Virginum catalogo adnumeravit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Maji**

**Sexto Kalendas Junii.**

**xxviiij. A**

Sancti Bedae Venerabilis, Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; qui migravit in caelum octavo Kalendas Junii.

Sancti Joannis Primi, Papae et Martyris; cujus dies natalis quintodecimo Kalendas Junii refertur, sed festivitas hac die, ob Translationem corporis ejus, potissimum celebratur.

Dorostori, in Mysia inferiore, passio beati Julii, qui, tempore Alexandri Imperatoris, cum esset veteranus et emeritae militiae, comprehensus est ab officialibus, et Maximo Praesidi oblatu; quo praesente, cum exsecraretur idola, et Christi nomen constantissime confiteretur, capitali sententia punitus est.



In pago Atrebatensi sancti Ranulphi Martyris.

Apud Soram sanctae Restitutae, Virginis et Martyris; quae, sub Aureliano Imperatore et Agathio Proconsule, fidei certamine suscepto, daemonum impetus, parentum blanditias et tortorum saevitiam superavit, ac demum, cum aliis Christianis, capite truncata, martyrio decorata est.

Arausicae, in Galliis, sancti Eutropii Episcopi, virtutibus atque miraculis illustris.

Herbipoli, in Germania, sancti Brunonis, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Maji**

**Quinto Kalendas Junii.**

**xxvij. B**

Sancti Augustini, Episcopi Cantuariensis et Confessoris, cujus dies natalis agitur septimo Kalendas Junii.

In Sardinia sanctorum Martyrum Aemilii, Felicis, Priami et Luciani, qui, pro Christo certantes, ab eo gloriose coronati sunt.

Carnoti, in Gallia, sancti Carauni Martyris, qui sub Domitiano Imperatore, capite amputatus, martyrium sumpsit.

Item passio sanctorum Crescentis, Dioscoridis, Pauli et Helladii.

Thecuae, in Palaestina, sanctorum Monachorum Martyrum, qui, tempore Theodosii junioris, a Saracenis occisi sunt; quorum sacras reliquias collegerunt accolae, et summa veneratione illas habuerunt.

Corinthe sanctae Heliconidis Martyris, tempore Gordiani Imperatoris. Haec primum, sub Perennio Praeside, multis tormentis afflicta; deinde, sub ejus successore Justino, iterum cruciata, sed ab Angelis liberata est; demum, dissectis mammis, ferisque objecta atque igne probata, capitis obruncatione martyrium complevit.

Lutetiae Parisiorum sancti Germani, Episcopi et Confessoris; qui quantae sanctitatis quantique fuerit meriti, quibus etiam miraculis claruerit, litterarum monumentis Fortunatus Episcopus consignavit.

Mediolani sancti Senatoris Episcopi, virtutibus et eruditidne clarissimi.

Urgellae, in Hispania Tarraconensi, sancti Justi Episcopi.

Florentiae sancti Podii, Episcopi et Confessoris.

Apud Novariam sancti Bernardi a Menthone Confessoris, qui in monte Jovis, super Alpes, in Valesia, celeberrimum coenobium et hospitium extruxit, atque a Pio Papa Undecimo, non modo Alpium incolis vel viatoribus, sed iis etiam qui earum juga ascendendo se exercent, caelestis

Patronus est attributus.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Maji**

**Quarto Kalendas Junii.**

**xxvj. C**

Sanctae Mariae-Magdalенаe de Pazzis, ex Ordine Carmelitarum, Virginis, cujus dies natalis octavo Kalendas Junii recensetur.

Romae, via Aurelia, natalis sancti Restituti Martyris.

Apud Iconium, in Lycaonia, passio sanctorum Cononis, et filii annorum duodecim, qui, sub Aureliano Imperatore, craticulae, prunis suppositis et oleo superinfuso candentis, suspensionis in equuleo atque ignis poenam constanter passi, ad extremum, malleo ligneo manibus eorum contritis, spiritum emisissent.

In agro Tridentino natalis sanctorum Martyrum Sisinii, Martyrii et Alexandri; qui, tempore Honorii Imperatoris, in Anaunia partibus (ut scribit in vita sancti Ambrosii Paulinus), persequentibus Gentilibus, martyrii coronam adepti sunt.

Camerini passio sanctorum mille quingentorum et viginti quinque Martyrum.

Caesareae Philippi sanctarum Martyrum Theodosiae, quae sancti Procopii Martyris exstitit mater, et aliarum duodecim

nobilium matronarum; quae, in persecutione Diocletiani, capitis obtruncatione consummatae sunt.

Treviris beati Maximini, Episcopi et Confessoris; a quo sanctus Athanasius Episcopus, ob persecutionem Arianorum exsulans, honorifice susceptus fuit.

Veronae sancti Maximi Episcopi.

Arcani, in Latio, sancti Eleutherii Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Maji**

**Tertio Kalendas Junii.**

**xxv. D**

Sancti Felicis Primi, Papae et Martyris, cujus dies natalis tertio Kalendas Januarii recensetur.

Turribus, in Sardinia, sanctorum Martyrum Gabini et Crispuli.

Antiochiae sanctorum Syci et Palatini, qui, pro Christi nomine, multa tormenta passi sunt.

Ravennae sancti Exsuperantii, Episcopi et Confessoris.

Papiae sancti Anastasii Episcopi.

Caesareae, in Cappadocia, sanctorum Basilii et Emmeliae uxoris, qui fuerunt parentes beatorum Basilii Magni et

Gregorii Nysseni ac Petri Sebastensis Episcoporum, atque Macrinae Virginis. Hi vero sancti conjuges, tempore Galerii Maximiani, extorres facti, Ponticas solitudines incoluere; et post persecutionem, filiis suarum relictis virtutum heredibus, in pace quieverunt.

Hispali, in Hispania, sancti Ferdinandi Tertii, Castellae et Legionis Regis, ob virtutum praestantiam cognomento Sancti; qui, fidei propagandae zelo clarus, tandem, devictis Mauris, ad caeleste regnum, terreno relicto, feliciter evolavit.

Rotomagi, sanctae Joannae Arcensis Virginis, Puellae Aurelianensis appellatae, quae cum fortiter pro patria dimicasset, tandem, in hostium potestatem tradita, iniquo iudicio condemnata est et igne combusta; atque a Benedicto Decimo quinto, Pontifice Maximo, Sanctorum fastis adscripta.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**31 Maji**

**Pridie Kalendas Junii.**

**xxiv. E**

Festum beatae Mariae Virginis Reginae.

Romae sanctae Petronillae Virginis, filiae beati Petri Apostoli, quae, conjugium nobilis viri Flacci spernens, et, acceptis triduanis ad deliberandum indiiciis, interim jejuniis et orationibus vacans, tertia die, mox ut Christi Sacramentum accepit, emisit spiritum.

Aquilejae sanctorum Martyrum fratrum Cantii, Cantiani et Cantianillae, qui, cum essent ex illustri Aniciorvim progenie, sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, ob Christianae fidei constantiam, una cum paedagogo suo Proto, capite plexi sunt.

Turribus, in Sardinia, sancti Crescentiani Martyris.

Apud Comanos, in Ponto, sancti Hermiae militis, qui, sub Antonino Imperatore, de innumeris et saevissimis tormentis divina ope liberatus, carnificem convertit ad Christum, et ejusdem martyrii coronae participem fecit; quam tamen ipse primus, gladio obruncatus, accepit.

Veronae sancti Lupicini Episcopi.

Romae sancti Paschasii, Diaconi et Confessoris, cujus meminit beatus Gregorius Papa.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Junii

**1 Junii**

**Kalendis Junii.**

**xxij. A**

Sanctae Angelae Merici Virginis, ex tertio Ordine sancti Francisci; quae fuit Institutrix Societatis Virginum sanctae Ursulae, et ad accipiendam coronam immarcescibilem, sexto Kalendas Februarii a caelesti Sponso vocata est.

Romae sancti Juventii Martyris.

Augustoduni sanctorum Reveriani Episcopi, et Pauli Presbyteri, cum aliis decem, qui, sub Aureliano Principe, martyrio coronati sunt.

Caesareae, in Palaestina, beati Pamphili, Presbyteri et Martyris, viri admirandae sanctitatis et doctrinae, atque in pauperes munifici; qui, ob Christi fidem, in persecutione Galerii Maximiani, primum, sub Urbano Praeside, cruciatus et in carcerem trusus, deinde, sub Firmiliano, iterum revocatus ad poenas, una cum aliis martyrium consummavit. Passi sunt etiam tunc Valens Diaconus, et Paulus, aliique novem; quorum memoria aliis diebus celebratur.

In Cappadocia sancti Thespesii Martyris, qui, sub Alexandro Imperatore et Simplicio Praefecto, post alia tormenta, decollatus est.

In Aegypto sanctorum Martyrum Ischyronis, ductoris militum, et aliorum quinque militum; qui, sub Diocletiano Imperatore, pro fide Christi, diverso mortis genere preempti sunt.

Item sancti Firmi Martyris, qui, in persecutione Maximiani, acerbissimis plagis affectus, lapidibus percussus, ac demum capite caesus est.

Perusiae sanctorum Martyrum Felini et Gratiniani militum, qui, sub Decio, variis tormentis cruciati, martyrii palmam gloriosa morte perceperunt.

Bononiae sancti Proculi Martyris, qui sub Maximiano Imperatore passus est.

Ameriae, in Umbria, sancti Secundi Martyris, qui sub Diocletiano, in Tiberim projectus, martyrium consummavit.

Apud Tifernum, in Umbria, sancti Crescentiani, militis Romani, qui, sub eodem Imperatore, martyrio coronatus est.

In monasterio Lirinensi, in Gallia, sancti Caprasii Abbatis.

In monasterio Onniensi, apud Burgos, in Hispania, sancti Eneconis, Abbatis Benedictini, ob sanctitatis et miraculorum gloriam illustris.

Apud Montem Falcum, in Umbria, sancti Fortunati Presbyteri, virtutibus et miraculis clari.



Treviris sancti Simeonis Monachi, qui a Benedicto Papa Nono in Sanctorum numerum relatus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Junii**

**Quarto Nonas Junii.**

**xxj. B**

Romae natalis sanctorum Martyrum Marcellini Presbyteri, et Petri Exorcistae, qui, sub Diocletiano, cum multos in carcere ad fidem erudirent, ideo, post dira vincula et plurima tormenta, a Sereno Judice decollati sunt in loco qui dicebatur Silva Nigra; quae deinde, in honorem Sanctorum, commutato nomine, Silva Candida appellata est. Horum corpora in crypta, juxta sanctum Tiburtium, sepulta sunt; eorumque sepulcrum sanctus Damasus Papa versibus postea exornavit.

In Campania sancti Erasmi, Episcopi et Martyris. Hic, sub Diocletiano Augusto, primum plumbatis caesus, deinde fustibus graviter mactatus, post resina, sulphure, plumbo, pice, cera oleoque perfusus, illaesus apparuit; deinde Formiis, sub Maximiano, diversis atque immanissimis suppliciis iterum tortus, sed ad confirmandum ceteros a Deo servatus; tandem, vocante Domino, martyrio clarus, sancto fine quievit. Ipsi autem corpus Cajetam postea translatum est.

Lugduni, in Gallia, sanctorum Martyrum Pothini Episcopi, Sancti Diaconi, Vetii epagathi, Maturi, Pontici, Biblidis,

Attali, Alexandri et Blandinae, cum aliis multis; quorum fortia et iterata certamina, tempore Marci Aurelii Antonini et Lucii Veri, Ecclesiae Lugdunensis epistola, ad Ecclesias Asiae et Phrygiae scripta, recenset. In his sancta Blandina, sexu infirmior, corpore imbecillior, conditione dejectior, diuturniora et acerbiora certamina subiens, et fortis adhuc permanens, gladio jugulata, ceteros secuta est, quos hortabatur ad palmam.

In insula Proconneso, in Propontide, sancti Nicephori, Episcopi Constantinopolitani, qui, paternarum traditionum propugnator acerrimus, pro cultu sanctarum Imaginum se Leoni Armeno, Imperatori Iconoclastae, constanter opposuit; a quo mulctatus exsilio, ibidem, cum per quatuordecim annos longum duxisset martyrium, migravit ad Dominum.

Romae sancti Eugenii Primi, Papae et Confessoris.

Trani, in Apulia, sancti Nicolai Peregrini Confessoris, cujus miracula in Concilio Romano, cui beatus Urbanus Papa Secundus praefuit, recitata sunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Junii**

**Tertio Nonas Junii.**

**vij. E**

Aretii, in Tuscia, sanctorum Martyrum Pergentini et Laurentini fratrum, qui, in persecutione Decii, sub Tiburtio Praeside, cum essent pueri, ibidem, post dira supplicia

tolerata et magna miracula ostensa, gladio caesi sunt.

Constantinopoli sanctorum Martyrum Lucilliani et quatuor puerorum, scilicet Claudii, Hypatii, Pauli et Dionysii. His cum pueris Lucillianus, ex idolorum sacerdote Christianus factus, in fornacem, post varia tormenta, injectus est, sed, fiamma imbre exstincta, omnes illaesi evaserunt; denique, ipse cruci affixus, pueri autem gladio obtruncati, sub Silvano Praeside, consummati sunt.

Cordubae, in Hispania, beati Isaac Monachi, qui, pro Christi fide, gladio necatus est.

Constantinopoli sanctae Paulae, Virginis et Martyris, quae, cum praedictorum Martyrum Lucilliani ac Sociorum sanguinem colligeret, ideo, comprehensa, virgis percussa, et in ignem coniecta sed liberata, demum et ipsa eodem loco, ubi sanctus Lucillianus crucifixus fuerat, decollata est.

Carthagine sancti Caecilii Presbyteri, qui sanctum Cyprianum ad Christi fidem perduxit.  
In territorio Aurelianensi sancti Liphardi, Presbyteri et Confessoris.

Lucae, in Tuscia, sancti Davini Confessoris.

Anagninae sanctae Olivae Virginis.

Lutetiae Parisiorum sanctae Clotildis Reginae, cujus precibus vir ejus Clodoveus, Rex Francorum, Christi fidem suscepit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Junii**

**Pridie Nonas Junii.**

**vij. F**

Agnoni, in Aprutio citeriore, sancti Francisci, ex nobili Neapolitana familia Caracciolo, Confessoris, Congregationis Clericorum Regularium Minorum Fundatoris, qui mira in Deum et proximum caritate et ardentissimo sacrae Eucharistiae cultus propagandi studio flagravit; atque a Pio Septimo, Pontifice Maximo, Sanctorum canoni adscriptus est. Ipsius corpus Neapolim, in Campania, translatum fuit, ibique religiosissime colitur.

Romae sanctorum Martyrum Aretii et Daciani.

Sisciae, in Illyrico, sancti Quirini Episcopi, qui, sub Galerio Praeside, pro fide Christi (ut Prudentius scribit), molari saxo ad collum ligato, in flumen praecipitatus est; sed, lapide supernatante, cum circumstantes Christianos, ne ejus terrentur supplicio neve titubarent in fide, diu fuisset hortatus, ipse, ut martyrii gloriam assequeretur, precibus a Deo, ut mergeretur, obtinuit.

Mediolani sancti Clatei, Episcopi Brixienensis et Martyris, qui, sub Nerone Imperatore, jussu Praefecti urbis illius tentus, et, cum renuntiare Christo nollet, multis verberibus afflictus et capite obruncatus est.

In Pannonia sanctorum Martyrum Rutili et Sociorum.

Tibure sancti Quirini Martyris.

Atrebatum, in Gallia, sanctae Saturninae, Virginis et Martyris.

Constantinopoli sancti Metrophanis, Episcopi et Confessoris insignis.

Milevi, in Numidia, sancti Optati Episcopi, doctrina et sanctitate conspicui, quem sancti Ecclesiae Patres Augustinus et Fulgentius suis laudibus celebrarunt.

Veronae sancti Alexandri Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Junii**

**Nonis Junii.**

**vij. G**

In Frisia sancti Bonifatii, Episcopi Moguntini et Martyris. Hic de Anglia Romam venit, indeque a beato Gregorio Papa Secundo in Germaniam missus est ut Christi fidem illis gentibus evangelizaret, et, cum maximam ibi multitudinem, praesertim Frisonum, Christianae religioni subjugasset, Germanorum Apostolus meruit appellari; novissime in Frisia, a furentibus Gentilibus gladio peremptus, una cum Eobano Coepiscopo et quibusdam aliis servis Dei, martyrium consummavit.

Tyri, in Phoenicia sancti Dorothei Presbyteri, qui, sub Diocletiano, multa passus est; et, usque ad Juliani tempora

superstes, sub eo, annum agens septimum supra centesimum, venerandam senectam martyrio honestavit.

In Aegypto natalis sanctorum Martyrum Marciani, Nicanoris, Apollonii et aliorum, qui, in persecutione Galerii Maximiani, illustre martyrium consummarunt.

Perusiae sanctorum Martyrum Florentii, Juliani, Cyriaci, Marcellini et Faustini, qui omnes, in persecutione Decii Imperatoris, capite caesi sunt.

Cordubae, in Hispania, beati Sancii adolescentis, qui, etsi in aula regia educatus, pro Christi tamen fide, in persecutione Arabica, martyrium subire non dubitavit.

Caesareae, in Palaestina, passio sanctarum Zenaidis, Cyrise, Valeriae et Marciae; quae, per multa tormenta, gaudentes ad martyrium pervenerunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Junii**

**Octavo Idus Junii.**

**vij. A**

Magdeburgi sancti Norberti, ejusdem civitatis Episcopi et Confessoris, qui Fundator exstitit Ordinis Praemonstratensis.

Caesareae, in Palaestina, natalis beati Philippi, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic, signis et prodigiis clarus, Samariam ad Christi fidem convertit, et Reginae Aethiopum

Candacis Eunuchum baptizavit, ac demum apud Caesaream requievit. Juxta ipsum tres Virgines, ejus filiae ac Prophetissae, tumulatae jacent; nam quarta filia ejus, plena Spiritu sancto, Ephesi occubuit.

Romae sancti Artemii, cum uxore sua Candida, et filia Paulina. Ex his Artemius, ad praedicationem et miracula sancti Petri Exorcistae, ad Christum conversus, et, cum omni domo sua, a sancto Marcellino Presbytero baptizatus, Sereni Judicis jussu plumbatis caesus et gladio percussus est; uxor vero ejus et filia, in cryptam impulsae, lapidibus ruderibusque sunt obrutae.

In agro Bononiensi sancti Alexandri, Episcopi Faesulani et Martyris; qui, rediens ex urbe Papia, ubi Ecclesiae suae bona apud Longobardorum Regem ab usurpatoribus vindicaverat, ab his in Rhenum fluvium est dejectus et aquis praefocatus.

Tarsi, in Cilicia, sanctorum Martyrum viginti, qui, temporibus Diocletiani et Maximiani, sub Simplicio Judice, per diversa tormenta glorificaverunt Deum in corporibus suis.

Novioduni, in Galliis, sanctorum Martyrum Amantii, Alexandri et Sociorum.

Mediolani depositio sancti Eustorgii Secundi, Episcopi et Confessoris.

Veronae sancti Joannis Episcopi.

Vesontione, in Galliis, sancti Claudii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Junii**

**Septimo Idus Junii.**

**viij. B**

Constantinopoli natalis sancti Pauli, ejusdem civitatis Episcopi, qui saepe ab Arianis ob fidem catholicam pulsus, et a sancto Julio Primo, Romano Pontifice, restitutus est; ac demum, ab Ariano Imperatore Constantio relegatus ad Cucusum, Cappadociae oppidulum, ibidem, Arianorum insidiis crudeliter strangulatus, ad caelestia regna migravit. Ipsius autem corpus, Theodosio Imperatore, Constantinopolim summo honore translatum fuit.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Monachorum et Martyrum Petri Presbyteri, Wallabonsi Diaconi, Sabiniani, Wistremundi, Habentii et Jeremiae, qui pro Christo, in persecutione Arabica, sunt jugulati.

Hermopoli, in Agypto, sancti Lycarionis Martyris, qui laniatus, virgis ferreis ignitis caesus, aliaque saevissima passus est, ac demum, gladio percussus, martyrium consummavit.

Placentiae sancti Antonii Mariae Gianelli, Bobiensis Episcopi, Fundatoris Congregationis Filiarum Mariae sanctissimae ab Horto nuncupatarum, quem Pius Papa Duodecimus inter sanctos Caelites adnumeravit.



In Anglia sancti Roberti Abbatis, ex Ordine Cisterciensi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Junii**

**Sexto Idus Junii.**

**vij. C**

Aquis, in Gallia, sancti Maximini, qui exstitit primus ejusdem civitatis Episcopus, ac Domini discipulus fuisse traditur. Eodem die sanctae Calliopae Martyris, quae, ob Christi fidem, abscissis mammis atque adustis carnibus, super testulas volutata, demum, truncata capite, martyrii palmam accepit.

Eboraci, in Anglia, sancti Willhelmi, Episcopi et Confessoris, qui, inter cetera ad ejus sepulcrum patrata miracula, tres mortuos suscitavit, atque ab Honorio Papa Tertio in Sanctorum canonem relatus est.

Apud Suessiones, in Galliis, natalis sancti Medardi, Episcopi Noviomensis; cujus vita et mors pretiosa gloriosis miraculis commendatur.

Rotomagi sancti Gildardi Episcopi, qui fuit frater ejusdem sancti Medardi. Ambo autem fratres, eodem die nati eodemque die Episcopi consecrati, uno quoque die de hac vita subtracti, simul in caelum migrarunt.

Apud Senonas sancti Heraclii Episcopi.

Metis, in Gallia, sancti Clodulpbi Episcopi.

In Piceno sancti Severini, Septempedani Episcopi.

In Sardinia sancti Sallustiani Confessoris.

Camerini sancti Victorini Confessoris, qui fuit praedicti sancti Severini, Septempedani Episcopi, germanus frater.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Junii**

**Quinto Idus Junii.**

**vij. D**

Nomenti, in Sabinis, natalis sanctorum Martyrum Primi et Feliciani fratrum, sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus. Hi gloriosi Martyres, cum longaeuam in Domino vitam duxissent, et nunc simul paria, nunc singillatim diversa et exquisita pertulissent tormenta, ambo tandem felicitatis pugnae cursum, a Nomentano Praeside Promoto animaduersi gladio, consummaverunt. Ipsorum autem Martyrum corpora, postea Romam translata, in Ecclesia sancti Stephani Protomartyris, in monte Caelio, honorifice collocata sunt.

Agenni, in Gallia, passio sancti Vincentii, Levitae et Martyris, qui, ob Christi fidem, verberibus dirissime caesus et gladio decollatus est.

Apud Antiochiam sanctae Pelagiae, Virginis et Martyris,

quam sancti Ambrosius et Joannes Chrysostomus magnis efferunt laudibus.

Syraculis, in Sicilia, sancti Maximiani Episcopi, cujus sanctus Gregorius Papa saepius meminit.

Andriae, in Apulia, sancti Richardi, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus, et miraculis claruit.

In Iona, Scotiae insula, sancti Columbae, Presbyteri et Abbatis.

Edessae, in Syria, sancti Juliani Monachi, cujus praeclara gesta sanctus Ephraem Diaconus scripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Junii**

**Quarto Idus Junii.**

**vij. E**

Sanctae Margaritae Viduae, Scotorum Reginae, quae sextodecimo Kalendas Decembris obdormivit in Domino.

Romae, via Salaria, passio beati Getulii, clarissimi et doctissimi viri, ac susceptorum e sancta uxore Symphorosa beatorum septem fratrum Martyrum patris, ejusque Sociorum Caerealis, Amantii et Primitivi. Hi omnes, Hadriani Imperatoris jussu, a Licinio Consulari tenti, primum caesi sunt, deinde in carcerem trusi; postremum, incendio traditi, sed nullo modo ab igne laesi, martyrium suum, fustibus illiso capite, compleverunt. Ipsorum autem

corpora Symphorosa, beati Getulii uxor, collegit, et in arenario praedii sui honorifice sepelivit.

Item Romae, via Aurelia, natalis sanctorum Basilidis, Tripodis, Mandalis et aliorum viginti Martyrum, sub Imperatore Aureliano et Urbis Praefecto Platone.

Neapoli, in Campania, sancti Maximi, Episcopi et Martyris; qui, ob strenuam Nicaenae fidei confessionem, a Constantio Imperatore in exilium pulsus, ibidem, aerumnis confectus, decessit.

Prusae, in Bithynia, sancti Timothei, Episcopi et Martyris, qui, sub Juliano Apostata, cum Christum ejurare noluisset, idcirco, ipsius Imperatoris jussu, capite abscissus est.  
Coloniae Agrippinae sancti Maurini, Abbatis et Martyris.

Nicomediae sancti Zachariae Martyris.

In Hispania sanctorum Martyrum Crispuli et Restituti.

In Africa sanctorum Martyrum Aresii, Rogati et aliorum quindecim.

Petrae, in Arabia, sancti Asterii Episcopi, qui, ob fidem catholicam, ab Arianis multa passus et ab Imperatore Constantio in Africam relegatus est, ac tandem, in Ecclesiam suam restitutus, Confessor gloriosus occubuit.

Antisiodori sancti Censurii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Junii**

**Tertio Idus Junii.**

**xiv. F**

Salaminae, in Cypro, natalis sancti Barnabae Apostoli, qui, natione Cyprius, cum Paulo Gentium Apostolus a discipulis ordinatus, multas regiones cum eo peragravit, injunctum sibi opus Evangelicae praedicationis exercens; postremo, Cyprum profectus, ibi Apostolatam suum glorioso martyrio decoravit. Ejus corpus, tempore Zenonis Imperatoris, ipso Barnaba revelante, repertum est, una cum codice Evangelii sancti Matthaei, ejusdem Barnabae manu descripto.

Salmanticae, in Hispania, item natalis sancti Joannis a sancto Facundo, ex Eremitarum sancti Augustini Ordine, Confessoris; qui fidei zelo, sanctimonia vitae ac miraculis claruit. Ipsius autem festivitas sequenti die celebratur.

Aquilejae passio sanctorum Felicis et Fortunati fratrum, qui, in persecutione Diocletiani et Maximiani, equuleo suspensi, atque, ardentibus lampadibus circa eorum latera appositis et mox divina virtute extinctis, per ventrem ferventi oleo sunt perfusi; et ad ultimum, cum in Christi confessione persisterent, gloriosi certaminis cursum, obruncati capite, impleverunt.

Bremae natalis sancti Remberti, Hamburgensis ac Bremensis Episcopi.

Tarvisii sancti Parisii, civis Bononiensis, Confessoris et Monachi, ex Ordine Camaldulensi.

Romae Translatio sancti Gregorii Nazianzeni, Episcopi, Confessoris atque Ecclesiae Doctoris; cujus sacrum corpus, e Constantinopoli antea delatum ad Urbem, atque in Ecclesia sanctae Dei Genitricis ad Campum Martium diu asservatum, Gregorius Decimus tertius, Pontifex Maximus, in Capellam, a se in Basilica sancti Petri magnificentissime exornatam, summa celebritate transtulit, ac postridie digno honore sub altari condidit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Junii**

**Pridie Idus Junii.**

**xiiij. G**

Sancti Joannis a sancto Facundo, ex Eremitarum sancti Augustini Ordine, Confessoris, qui migravit in caelum pridie hujus diei.

Romae, via Aurelia, natalis sanctorum Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii militum, qui, in persecutione Diocletiani et Maximiani, sub Aurelio Praefecto, ob Christiani nominis confessionem, detrusi in carcerem et scorpionibus lacerati, tandem capite truncati sunt.

Nicaeae, in Bithynia, sanctae Antoninae Martyris, quae, in eadem persecutione, a Priscilliano Prseside jussa est fustibus caedi, suspendi in equuleo, lateribus laniari et flammis incendi, ac demum gladio necari.

Romae, in Basilica Vaticana, sancti Leonis Papae Tertii, cui erutos ab impiis oculos et praecisam linguam Deus mirabiliter restituit.

In Thracia sancti Olympii Episcopi, qui, ab Arianis sede pulsus, Confessor occubuit.

In Cilicia sancti Amphionis Episcopi, qui, tempore Galerii Maximiani, Confessor fuit egregius.

In Aegypto sancti Onuphrii Anachoretæ, qui in vasta eremo sexaginta annis vitam religiose peregit, et, magnis virtutibus ac meritis clarus, migravit in caelum. Ipsius vero insignia gesta Paphnutius Abbas conscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Junii**

**Idibus Junii.**

**xij. A**

Patavii sancti Antonii Lusitani, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, atque Ecclesiae Doctoris, vita, et miraculis, ac praedicatione illustris, quem, uno post illius obitum anno nondum expleto, Gregorius Papa Nonus in Sanctorum canonem retulit.

Romae, via Ardeatina, natalis sanctae Feliculae, Virginis et Martyris; quae, nec Flacco nubere neque idolis immolare volens, tradita est cuidam Judici, qui eam in confessione Christi perseverantem, post tenebricosam custodiam et famis inedia, tamdiu fecit in equuleo torqueri, donec illa

emitteret spiritum, et sic demum deponi et in cloacam praecipitari. Ipsius vero corpus, inde extractum, sanctus Nicomedes Presbyter eadem via sepelivit.

In Pelignis sancti Peregrini, Episcopi et Martyris, qui, pro fide catholica, a Longobardis in Aternum flumen demersus est.

Cordubae, in Hispania, sancti Fandilae, Presbyteri et Monachi; qui, in persecutorie Arabica, amputato capite, pro Christi fide martyrium subiit.

In Africa sanctorum Martyrum Fortunati et Luciani.

Bybli, in Phoenicia, sanctae Aquilinae, Virginis et Martyris, quae, annos duodecim nata, sub Diocletiano Imperatore et Volusiano Iudice, ob fidei confessionem colaphis et verberibus caesa, et subulis candentibus perforata, demum, percussa gladio, virginitatem martyrio consecravit.

In Cypro sancti Triphylii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Junii**      **Decimo octavo Kalendas Julii.**      **xj. B**

Sancti Basillii, cognomento Magni, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, qui Kalendis Januarii obdormivit in Domino, sed hac die potissimum colitur, qua Caesariensis in Cappadocia Episcopus ordinatus est.



Samariae, in Palaestina, sancti Elisei Prophetae, cujus sepulcrum, ubi et Propheta quiescit Abdias, a daemonibus perhorresci sanctus Hieronymus scribit.

Syraculis, in Sicilia, sancti Marciani Episcopi, qui, a beato Petro Apostolo ordinatus Episcopus, ibidem, post Evangelii praedicationem a Judaeis occisus est.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Anastasii Presbyteri, Felicis Monachi, et Dignae Virginis.

Apud Suessiones, in Galliis, sanctorum Martyrum Valerii et Rufini, qui, in persecutione Diocletiani, a Praeside Rictiovaro, post multa tormenta, jussi sunt decollari.

Constantinopoli sancti Methodii Episcopi.

Viennae, in Gallia, sancti Aetherii Episcopi.

Apud Rhutenos, in Gallia, sancti Quinctiani Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Junii**      **Decimo septimo Kalendas Julii. x. C**

Apud Silarum flumen, in Lucania, natalis sanctorum Martyrum Viti, Modesti atque Crescentiae, qui, sub Diocletiano Imperatore, e Sicilia illuc delati, ibidem, post ollam ferventis plumbi, post bestias et catastas divina

virtute superatas, cursum gloriosi certaminis peregerunt.

Dorostori, in Mysia inferiore, sancti Hesychii militis, qui, cum beato Julio comprehensus, post eum, sub Maximo Prseside, martyrio coronatus est.

Zephyrii, in Cilicia, sancti Dulae Martyris, qui, sub Prseside Maximo, ob Christi nomen, virgis caesus, in craticula positus, ferventi oleo incensus aliaque passus, martyrii palmam victor accepit.

Cordubae, in Hispania, sanctae Benildis Martyris.

Sibapoli, in Mesopotamia, sanctarum Virginum et Martyrum Lybes et Leonidis sororum, et Eutropiae, puellae annorum duodecim; quae per diversa tormenta ad coronam martyrii pervenerunt.

Apud Valencenas, in Gallia, depositio sancti Landelini Abbatis.

Arvernus, in Gallia, sancti Abrahae Confessoris, sanctitate ac miraculis illustris.

Pibraci, in dioecesi Tolosana, sanctae Germanae Cousin Virginis, quae custodiendis gregibus addicta permansit, et, cum humilis ac pauper vixisset, et, multis aerumnis patientissime toleratis, migrasset ad Sponsum, plurimis post obitum miraculis claruit; atque a Pio Nono, Pontifice Maximo, in sanctarum Virginum numero adscripta fuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Junii**

**Sextodecimo Kalendas Julii. ix. D**

Moguntiae passio sanctorum Auraei Episcopi, et Justinae sororis, ac ceterorum Martyrum; qui, synaxim in Ecclesia agentes, ab Hunnis, Germaniam diripientibus, trucidati sunt.

Vesontione, in Galliis, sanctorum Martyrum Ferreoli Presbyteri, et Ferrutionis Diaconi, qui, a beato Irenaeo Episcopo missi ad praedicandum verbum Dei, postea, sub Claudio Iudice, diversis poenis excrucii, gladio feriuntur.

Tarsi, in Cilicia, sanctorum Martyrum Quirici et Julittae matris, sub Diocletiano Imperatore. Ex eis Quiricus, triennis puellus, cum matrem, quae ante Alexandrum Praesidem nervis dirissime caedebatur, implacabili luctu lugeret, ad gradus tribunalis illisus interiit; Julitta vero, post dira verbera et gravia tormenta, martyrii sui cursum obruncatione capitis implevit.

Amathunte, in Cypro, sancti Tychonis Episcopi, tempore Theodosii junioris.

Lugduni, in Gallia, depositio beati Aureliani, Episcopi Arelatensis.

Nannete, in Britannia minore, sancti Similiani, Episcopi et Confessoris.

Misnae, in Germania, sancti Bennonis Episcopi.

In monasterio Aquiriensi, in Brabantia, sanctae Lutgardis

Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Junii**                      **Quintodecimo Kalendas Julii.**    viij. E

Romae natalis sanctorum ducentorum et sexaginta duorum Martyrum, qui, in persecutione Diocletiani, pro fide Christi sunt necati, ac positi via Salaria veteri, ad clivum Cucumeris.

Vesontione, in Galliis, sancti Antidii, Episcopi et Martyris, qui, ob Christi fidem, a Wandalis occisus fuit.

Apolloniae, in Macedonia, sanctorum Martyrum Atheniensium Isauri Diaconi, Innocentii, Felicis, Jeremiae et Peregrini, qui, a Trpontio Tribuno varie torti, capite obtruncati sunt.

Tarracinae, in Campania, sancti Montani militis, qui, sub Hadriano Imperatore et Leontio Consulari, post multa tormenta, martyrii coronam accepit.

Apud Venafrum, in Campania, sanctorum Martyrum Nicandri et Marciani, qui, in persecutione Maximiani, capite caesi sunt.

Chalcedone sanctorum Martyrum Manuelis, Sabelis et Ismaelis, qui, pacis causa apud Julianum Apostatam pro Persarum Rege legatione fungentes, ab ipso Imperatore,

cum idola venerari compellerentur idque constanti animo recusarent, gladio feriri iubentur.

Ameriae, in Umbria, sancti Himerii Episcopi, cujus corpus Cremonam, in Insubria, translatum est.

In pago Bituricensi sancti Gundulphi Episcopi.

Aurelianis, in Gallia, sancti Aviti, Presbyteri et Confessoris.

In Phrygia sancti Hypatii Confessoris.

Item sancti Bessarionis Anachoretæ.

Pisis, in Tuscia, sancti Rainerii Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Junii**      **Quartodecimo Kalendas Julii.**      **vij. F**

Edessæ, in Mesopotamia, sancti Ephraem, Diaconi Edesseni et Confessoris, qui, post multos labores pro Christi fide susceptos, doctrina et sanctitate conspicuus, sub Valente Imperatore quievit in Domino, et a Benedicto Papa Decimo quinto Doctor Ecclesie universalis est declaratus.

Romæ, via Ardeatina, natalis sanctorum Martyrum Marci et Marcelliani fratrum, qui, in persecutione Diocletiani, a Judice Fabiano tenti et ad stipitem alligati, in pedibus clavos acutos acceperunt; cumque non cessarent laudare

Christum, lanceis per latera transfixi sunt, et cum gloria martyrii ad siderea regna migrarunt.

Malacae, in Hispania, sanctorum Martyrum Cyriaci, et Paulae Virginis, qui, lapidibus obruti, inter saxa caelo animas reddiderunt.

Tripoli, in Phoenicia, sancti Leontii militis, qui, sub Hadriano Praeside, una cum Hypatio Tribuno et Theodulo, quos convertit ad Christum, per acerba tormenta pervenit ad coronam martyrii.

Eodem die sancti Aetherii Martyris, qui, in persecutione Diocletiani, post ignes et alios cruciatus, gladio caesus est.

Alexandriae passio sanctae Marinae Virginis.

Burdigalae sancti Amandi, Episcopi et Confessoris.

Apud Saccam, in Sicilia, sancti Calogeri Eremitae, cujus sanctitas in energumenis liberandis maxime effulget.

Schonaugiae, in Germania, sanctae Elisabeth Virginis, ob monasticae vitae observantiam celebris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Junii**

**Tertiodecimo Kalendas Julii. vj. G**

Florentiae sanctae Julianae Falconeriae Virginis, quae

Sororum Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis fuit Institutrix, et a Clemente Duodecimo, Pontifice Maximo, in sanctarum Virginum numerum relata est.

Mediolani sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii fratrum, ex quibus priorem tamdiu jussit Astasius Judex plumbatis caedi, quousque ille spiritum exhalaret; posteriorem vero, fustibus caesum, capite truncari. Horum corpora, Domino revelante, beatus Ambrosius sanguine conspersa et ita incorrupta reperit, ac si eo die ipsi fuissent interempti; in quorum translatione caecus, feretri tactu, lumen recepit, et plurimi, vexati a daemonibus, liberati sunt.

In monasterio Vallis Castri, in Piceno, natalis sancti Romualdi Ravennatis, Anachoretæ et Monachorum Camaldulensium Patris; qui collapsam in Italia eremiticam disciplinam restituit ac mirifice propagavit. Ejus tamen festivitas recolitur septimo Idus Februarii, quo die sacrae ipsius reliquiae Fabrianum sunt translatae.

Aretii, in Tuscia, sanctorum Martyrum Gaudentii Episcopi, et Culmatii Diaconi, qui, tempore Valentiniani, furore Gentilium caesi sunt.

Eodem die sancti Bonifatii, Episcopi et Martyris; qui fuit beati Romualdi discipulus. Hic, a Gregorio Quinto, Romano Pontifice, ad praedicandum Evangelium in Russiam missus, ibi, cum per ignem transisset illaesus, Regemque ac populum baptizasset, a furente Regis fratre necatus est, atque sic optatam martyrii coronam accepit.

Ravennae sancti Ursicini Martyris, qui, sub Paulino Judice,

post plurima tormenta, in Domini confessione permanens immobilis, capitis abscissione martyrium complevit.

Sozopoli, in Pisidia, sancti Zosimi Martyris, qui, in persecutione Trajani, sub Domitiano Praeside, post acerbos cruciatus, capite amputato, victor migravit ad Dominum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Junii**

**Duodecimo Kalendas Julii. v. A**

In insula Pontia natalis sancti Silverii, Papae et Martyris, qui, cum Anthimum, Episcopum haeticum, a suo praedecessore Agapito depositum, restituere noluisset, a Belisario, agente impia Theodora Augusta, in exilium pulsus est, et ibidem, pro fide catholica multis aerumnis confectus, defecit.

Romae depositio sancti Novati, qui fuit filius beati Pudentis Senatoris, et frater sancti Timothei Presbyteri et sanctarum Christi Virginum Pudentianae et Praxedis, qui ab Apostolis eruditi sunt in fide. Ipsorum vero domus, in Ecclesiam commutata, Pastoris Titulus appellatur.

Tomis, in Ponto, sanctorum Martyrum Pauli et Cyriaci.

Petrae, in Palaestina, sancti Macarii Episcopi, qui, ab Arianis passus multa et in Africam relegatus, Confessor quievit in Domino.



Hispali, in Hispania, sanctae Florentinae Virginis, sororis sanctorum Leandri et Isidori Episcoporum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Junii**

**Undecimo Kalendas Julii. iv. B**

Romae sancti Aloisii Gonzagae, Clerici e Societate Jesu et Confessoris, principatus contemptu et innocentia vitae clarissimi, quem, a Summo Pontifice Benedicto Decimo tertio adscriptum Sanctorum fastis et Protectorem juvenibus praesertim studiosis datum, Pius Papa Undecimus caelestem Christianae juventutis universae Patronum confirmavit solemniter atque iterum declaravit.

Item Romae sanctae Demetriae Virginis, quae, sanctorum Martyrum Flaviani et Dafrosae filia ac sanctae Virginis et Martyris Bibianae soror, ipsa quoque, sub Juliano Apostata, martyrio coronata est.

Eodem die sancti Eusebii, Samosatani Episcopi; qui, tempore Constantii, Imperatoris Ariani, sub habitu militari incognitus Ecclesiae Dei visitabat, ut in fide catholica illas confirmaret. Deinde, sub Valente, in Thraciam relegatur; sed, reddita pace Ecclesiae, tempore Theodosii, ab exsilio revocatus, tandem, cum iterum Ecclesias visitaret, ei caput, tegula per mulierem Arianam desuper immissa, confractum est, sicque Martyr occubuit.

Iconii, in Lycaonia, sancti Terentii, Episcopi et Martyris.

Syracusis, in Sicilia, natalis sanctorum Martyrum Rufini et Martiae.

In Africa sanctorum Martyrum Cyriaci et Apollinaris.

Moguntiae sancti Albani Martyris, qui ob Christi fidem, post longos labores et dura certamina, factus est dignus corona vitae.

Papiae sancti Urcisceni, Episcopi et Confessoris.

Apud Tungrenses sancti Martinii Episcopi.

In pago Ebroicensi sancti Leutfridi Abbatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Junii**

**Decimo Kalendas Julii.**

**iiij. C**

Apud Nolam, Campaniae urbem, natalis beati Paulini, Episcopi et Confessoris, qui ex nobilissimo et opulentissimo factus est pro Christo pauper et humilis, et, quod supererat, seipsum pro redimendo viduae filio, quem Wandali, Campania devastata, captivum in Africam abduxerant, in servitutem dedit. Claruit autem non solum eruditione et copiosa vitae sanctitate, sed etiam potentia adversus daemones; ejusque praeclaras laudes sancti Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius Papa

scriptis suis celebrarunt. Ipsi corpus, postea Beneventum et inde Romam translatum, tandem, Summi Pontificis [Sancti] Pii Decimi jussu, Nolae restitutum fuit.

Londini, in Anglia, sancti Joannis Fisher, Episcopi Roffensis et Cardinalis, qui pro fide catholica et Romani Pontificis primatu, jubente Henrico Octavo Rege, decollatus est.

In monte Ararath passio sanctorum Martyrum decem millium, crucifixorum.

Verolamii, in Britannia, sancti Albani Martyris, qui, tempore Diocletiani, pro Clerico hospite, quem domi exceperat et a quo Christianae fidei praeceptionibus imbutus fuerat, seipsum, commutata veste, tradidit; et hanc ob causam, post verbera et acerba tormenta, capite plexus est. Passus est etiam cum illo unus de militibus, qui, dum eum duceret ad supplicium, in via conversus est ad Christum, et mox, gladio decollatus, proprio sanguine meruit baptizari. Hoc autem nobile sancti Albani ac Socii duratum pro Deo certamen sanctus Beda Venerabilis descripsit.

Samariae, in Palaestina, sanctorum mille quadringentorum octoginta Martyrum, qui, sub Rege Persarum Chosroa, pro Christi fide interfecti sunt.

Eodem die sancti Nicetae, Romatianae civitatis Episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

Neapoli, in Campania, sancti Joannis Episcopi, quem beatus

Paulinus, Episcopus Nolanus, ad caelestia regna vocavit.

In monasterio Cluniacensi, in Gallia, depositio sanctae Consortiae Virginis.

Romae beati Innocentii Papae Quinti, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris, qui ad tuendam Ecclesiae libertatem et Christianorum concordiam suavi prudentia adlaboravit. Cultum autem, ei exhibitum, Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus, ratum habuit et confirmavit.

Item Romae Translatio sancti Flavii Clementis, viri Consularis et Martyris; qui, sanctae Plautillae frater ac beatae Virginis et Martyris Flaviae Domitillae avunculus, a Domitiano Imperatore, quocum Consulatum gesserat, ob Christi fidem interemptus est. Ipsius porro corpus, in Basilica sancti Clementis Papae inventum, ibidem solemniter pompa reconditum est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Junii**

**Nono Kalendas Julii.**

**ij. D**

Vigilia Nativitatis sancti Joannis Baptistae. Romae sancti Joannis Presbyteri, qui, sub Juliano Apostata, via Salaria veteri, ante simulacrum Solis decollatus est, et corpus ejus a beato Concordio Presbytero juxta Martyrum Concilia sepultum.

Item Romae sanctae Agrippinae, Virginis et Martyris, quae

sub Valeriano Imperatore martyrium consummavit. Ipsius autem corpus, in Siciliam translatum ac Menis conditum, multis miraculis coruscat.

Sutrii, in Tuscia, sancti Felicis Presbyteri, cujus os tamdiu jussit Turcius Præfectus lapide contundi, donec ipse Felix emitteret spiritum.

Nicomediae commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui, tempore Diocletiani, in montibus et speluncis latentes, pro Christi nomine martyrium laeto animo subierunt.

Philadelphiae, in Arabia, sanctorum Martyrum Zenonis, ejusque servi Zenae. Hic domini sui vincti catenas exosculans, eumque rogans ut se in tormentis participem dignaretur habere, a militibus tentus est, et cum ipso domino parem martyrii coronam accepit.

Augustae Taurinorum sancti Josephi Cafasso, Sacerdotis, qui levitis pietate et scientia augendis atque damnatis capite Deo conciliandis fuit illustris, et a Pio Papa Duodecimo inter sanctos Caelites adscriptus est.

In monasterio Elyensi, in Britannia, sanctae Ediltrudis, Reginae et Virginis, quae sanctitate et miraculis clara migravit ad Dominum. Ipsius autem corpus, undecim post annis, inventum est incorruptum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Junii**

**Octavo Kalendas Julii.**

**j. E**

Nativitas sancti Joannis Baptistae, Praecursoris Domini, ac sanctorum Zachariae et Elisabeth filii, qui Spiritu Sancto repletus est adhuc in utero matris suae.

Romae commemoratio sanctorum plurimorum Martyrum, qui a Nerone Imperatore, ut a se incensae Urbis odium averteret, calumniose accusati, diverso mortis genere jussi sunt saevissime interfici. Horum siquidem alii, ferarum tergis contacti, laniatibus canum expositi sunt; alii crucibus affixi; aliique incendio traditi, ut, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deservirent. Erant hi omnes Apostolorum discipuli, et primitiae Martyrum, quas Romana Ecclesia, fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.

Item Romae sanctorum Martyrum Fausti et aliorum viginti trium.

Mechliniae, in Brabantia, passio sancti Rumoldi, Episcopi Dublinensis et Martyris, e Scotorum Rege progeniti.

Satalis, in Armenia, sanctorum Martyrum septem fratrum, scilicet Orentii, Herois, Pharnacii, Firmini, Firmi, Cyriaci et Longini militum; qui a Maximiano Imperatore, eo quod Christiani essent, cingulo militari privati sunt, et, ab invicem separati atque in diversa loca abducti, in doloribus et aerumnis positi, quieverunt in Domino.

In vico Christolio, in territorio Parisiensi, passio sanctorum Martyrum Agoardi et Agliberti, cum aliis innumeris

promiscui sexus.

Augustoduni depositio sancti Simplicii, Episcopi et Confessoris.

Laubiis, in Belgio, sancti Theodulphi Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Junii**

**Septimo Kalendas Julii.**

**\*. F**

In territorio Guleti, prope Nuscum, sancti Gulielmi Confessoris, Patris Eremitarum Montis Virginis.

Apud Beroeam natalis sancti Sosipatris, qui fuit discipulus beati Pauli Apostoli.

Romae sanctae Luciae, Virginis et Martyris, cum aliis viginti duobus.

Alexandriae sancti Gallicani Martyris, viri Consularis, qui, sublimatus infulis triumphalibus et Constantino Augusto carus, a sanctis Joanne et Paulo ad Christi fidem conversus est; eaque suscepta, cum sancto Hilarino secessit ad Ostia Tiberina, atque ibi hospitalitati et infirmorum servitio totum se dedit. Cujus rei fama in toto Orbe divulgata, multi undique illuc venientes videbant virum ex Patricio et Consule lavare pauperum pedes, ponere mensam, aquam manibus effundere, languentibus sollicite ministrare et cetera pietatis officia exhibere. Ipse postmodum, sub

Juliano Apostata, inde expulsus, Alexandriam perrexit; ibique, cum a Rauciano Iudice sacrificare cogeretur et contemneret, ideo, percussus gladio, Christi Martyr effectus est.

Sibapoli, in Mesopotamia, sanctae Febroniae, Virginis et Martyris; quae, in persecutione Diocletiani, sub Sileno Iudice, ob fidem et pudicitiam servandam, primo virgis caesa et equuleo torta, deinde pectinibus laniata atque igne succensa, demum, excussis dentibus ac mammis pedibusque abscissis, capitis damnata, tot passionum ornata monilibus migravit ad Sponsum.

Apud Rhegium sancti Prosperi Aquitani, ejusdem urbis Episcopi, eruditione ac pietate insignis, qui adversus Pelagianos, pro fide catholica, strenue decertavit.

Taurini natalis sancti Maximi, Episcopi et Confessoris, doctrina et sanctitate celeberrimi.

In Hollandia sancti Adelberti Confessoris, qui fuit discipulus sancti Willibrordi Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Junii**

**Sexto Kalendas Julii.**

**xxix. G**

Romae, in monte Caelio, sanctorum Martyrum Joannis et Pauli fratrum, quorum primus erat praepositus domus, secundus primicerius Constantiae Virginis, filiae



Constantini Imperatoris, et ambo postea, sub Juliano Apostata, martyrii palmam, caedente gladio, perceperunt.

Apud Tridentum sancti Vigilii Episcopi, qui, cum reliquias idololatriae penitus exstirpare conaretur, ideo, pro Christi nomine, a feris et barbaris hominibus percussus lapidum imbre, martyrium implevit.

Apud Valencenas, in Gallia, passio sanctorum Martyrum Salvii, qui exstitit Engolismensis Episcopus, et Superii.

Cordubae, in Hispania, natalis sancti Pelagii adolescentuli, qui, ob confessionem fidei, Regis Saracenorum Abdarameni jussu forcipibus ferreis membratim praecisus, martyrium suum gloriose consummavit.

Bellicii, in Gallia, sancti Anthelmi, qui ex majoris Carthusiae Priore, factus est ejusdem civitatis Episcopus.

In pago Pictaviensi sancti Maxentii, Presbyteri et Confessoris; qui miraculis claruit.

Thessalonicae sancti David Eremitae.

Eodem die sanctae Perseverandae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Junii**

**Quinto Kalendas Julii.**

**xxviij. A**

In Galatia sancti Crescentis, qui fuit beati Pauli Apostoli discipulus. Hic, in Gallias transitum faciens, verbo praedicationis multos ad fidem Christi convertit; regressus vero ad gentem cui specialiter datus erat Episcopus, demum, sub Trajano, cum Galatas ipsos usque ad finem vitae suae in opere Damini confirmasset, martyrium consummavit.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Zoili, et aliorum decem et novem.

Caesareae, in Palaestina, sancti Anecti Martyris, qui, in persecutione Diocletiani, sub Urbano Prseside, cum alios ad martyrium hortatus esset et idola oratione sua prostrasset, a decem militibus verberari iussus est; ac tandem, manibus pedibusque praecisis, truncatus capite, martyrii coronam accepit.

Constantinopoli sancti Sampsonis Presbyteri, pauperum exceptoris.

In castro Cainone, in Gallia, sancti Joannis, Presbyteri et Confessoris.

Varadini, in Hungaria, sancti Ladislai Regis, qui clarissimis miraculis usque ad diem hodiernum coruscat.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Junii**

**Quarto Kalendas Julii.**

**xxvij. B**

Vigilia sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Lugduni, in Gallia, sancti Irenaei, Episcopi et Martyris; qui (ut scribit sanctus Hieronymus) beati Polycarpi, Smyrnensis Episcopi, discipulus fuit, et Apostolicorum temporum vicinus. Is, cum adversus haereticos verbis ac scriptis plurimum decertasset, tandem, in persecutione Severi, cum omni fere civitatis suae populo, coronatus est glorioso martyrio.

Trajecti sancti Benigni, Episcopi et Martyris.

Alexandriae, in persecutione Severi, sanctorum Martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis catechumeni, Heronis neophyti, et alterius Sereni, Rhaidis catechumenaе, et Potamioenae cum ipsius matre Marcella; inter quos praecipue enituit Potamioena Virgo, quae, primo immensos innumerosque agones pro virginitate desudavit, deinde etiam exquisita et inaudita tormenta pro fide sustinuit, ad ultimum, simul cum matre, igne consumpta est.

Eodem die sancti Papii Martyris, qui, in persecutione Diocletiani Imperatoris, flagris caesus, atque in lebetem, oleo et adipe ferventi plenum, immissus, aliaque horrenda supplicia perpressus, demum, datis cervicibus, coronatur.

Cordubae, in Hispania, sancti Argymiri, Monachi et Martyris, qui in persecutione Arabica, pro Christi fide, in equuleo positus et ense transfossus est.

Romae sancti Pauli Primi, Papae et Confessoris.

Luere, in dioecesi Brixiensi, sanctae Vincentiae Gerosa, Virginis, Instituti Sororum a Caritate una cum sancta Bartholomaea Capitanio Fundatricis, quam Pius Papa Duodecimus albo sanctarum Virginum accensuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Junii**

**Tertio Kalendas Julii.**

**xxvj. C**

Romae natalis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, qui eodem anno eodemque die passi sunt, sub Nerone Imperatore. Horum prior, in eadem Urbe, capite ad terram verso cruci affixus, et in Vaticano juxta viam Triumphalem sepultus, totius Orbis veneratione celebratur; posterior autem, gladio animadversus, et via Ostiensi sepultus, pari honore habetur.

In Cypro sanctae Mariae, matris Joannis qui cognominatus est Marcus.

In castro Argentomacho, in Gallia, sancti Marcelli Martyris, qui, pro fide Christi, una cum Anastasio, viro militari, capite plexus est.

Genuae natalis sancti Syri Episcopi.

Narniae sancti Cassii, ejusdem civitatis Episcopi, de quo sanctus Gregorius Papa refert quod nullus ferme dies vitae ejus abscedebat, quo placationis hostias omnipotenti Deo

non offerret; cui et concordabat vita, quia, cuncta quae habebat, in eleemosynis tribuens, in hora sacrificii totus in lacrimis diffluebat. Demum, natalitio Apostolorum die, quo singulis annis Romam venire consueverat, in eadem Narniensi urbe, cum Missarum solemnia celebrasset, et corpus Dominicum pacemque omnibus dedisset, migravit ad Dominum.

In territorio Senonensi sanctae Benedictae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Junii**

**Pridie Kalendas Julii.**

**xxv. D**

Commemoratio sancti Pauli Apostoli.

Romae sanctae Lucinae, Apostolorum discipulae, quae, de facultatibus suis communicans Sanctorum necessitatibus, Christianos in carcere detentos visitabat, ac sepulturae Martyrum inserviebat; juxta quos et ipsa, in crypta a se constructa, sepulta est.

Item Romae sanctae Aemilianae Martyris.

Ipsa die sanctorum Martyrum Caji Presbyteri, et Leonis Subdiaconi.

Alexandriae passio sancti Basilidis, qui, sub Severo Imperatore, cum sanctam Potamioenam Virginem, quam ad supplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantia

tutatus esset, religiosi officii mercedem ab ea recepit; nam ipsa, post triduum illi apparens et ejus capiti coronam imponens, non tantum convertit eum ad Christum, sed etiam, brevi agone certantem, suis precibus Martyrem gloriosum effecit.

Lemovicis, in Aquitania, sancti Martialis Episcopi, cum duobus Presbyteris Alpiniano et Austricliniano; quorum vita signis miraculorum admodum effulsit.

In territorio Vivariensi, in Galliis, sancti Ostiani, Presbyteri et Confessoris.

Saanicae, in territorio Vicentino, sancti Theobaldi, Presbyteri et Eremitae, ex Campania Gallicae Comitibus; quem Alexander Papa Tertius, ob sanctitatis et miraculorum famam, Sanctorum canoni adjunxit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Julii

**1 Julii**

**Kalendis Julii.**

**xxij. A**

Octava Nativitatis sancti Joannis Baptistae.

Festum pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi.

In monte Hor depositio sancti Aaron, primi ex ordine Levitico Sacerdotis.

Viennae, in Gallia, sancti Martini Episcopi, Apostolorum discipuli.

Sinuessae, in Campania, sanctorum Martyrum Casti et Secundini Episcoporum.

In Britannia sanctorum Martyrum Julii et Aaron, qui post sanctum Albanum, in persecutione Diocletiani Imperatoris, passi sunt; quo tempore ibidem quamplurimi, diversis cruciatibus torti et saevissime lacerati, ad supernas civitatis gaudia, consummato agone, pervenerunt.

Arvernus, in Gallia, sancti Galli Episcopi.

In territorio Lugdunensi depositio sancti Domitiani Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, et, cum plurimos ibi in Dei servitio congregasset, tandem, magnis virtutibus

et gloriosis miraculis valde clarus, ad patres, in senectute bona, collectus est.

Engolismae, in Gallia, sancti Eparchii Abbatis.

In territorio Rhemensi sancti Theodorici Presbyteri, qui fuit discipulus beati Remigii Episcopi.

Apud Emessam, in Phoenicia, sancti Simeonis Confessoris, cognomento Sali, qui stultus propter Christum factus est; sed altam ejus sapientiam Deus magnis miraculis declaravit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Julii**

**Sexto Nonas Julii.**

**xxj. B**

Visitatio beatæ Mariæ Virginis ad Elisabeth.

Romæ, via Aurelia, natalis sanctorum Martyrum Processi et Martiniani, qui, a beato Petro Apostolo in Mamertini custodia baptizati, et, sub Nerone, oris contusionem, equuleum, nervos, fustes, flammæ scorpionisque perpassi, novissime, gladio percussi, martyrio coronati sunt.

Item Romæ passio sanctorum trium militum, qui, ad Christum conversi in martyrio beati Pauli Apostoli, cum eo participes fieri cælestis gloriæ meruerunt.

Eodem die sanctorum Martyrum Aristonis, Crescentiani, Eutychiani, Urbani, Vitalis, Justi, Felicissimi, Felicis,



Marciae et Symphorosae; qui omnes apud Campaniam, cum Diocletiani Imperatoris persecutio desaeviret, martyrio coronati sunt.

Wintoniae, in Anglia, sancti Swithuni Episcopi, cujus sanctitas miraculis effulsit.

Bambergae sancti Othonis Episcopi, qui Pomeranis Evangelium praedicavit, et eos ad fidem convertit.

Lyciis, in Apulia, sancti Bernardini Realino, Confessoris, qui magistratus munere egregie functus, Societatem Jesu ingressus et sacerdotio auctus, caritate ac miraculis inclaruit.

Turonis, in Gallia, depositio sanctae Monegundis, religiosae feminae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Julii**

**Quinto Nonas Julii.**

**vij. E**

Romae natalis sancti Leonis Secundi, Papae et Confessoris, qui primo sui Pontificatus anno, plenus meritis, migravit in caelum.

Clusii, in Etruria, sanctorum Martyrum Irenaei Diaconi, et Mustiolae matronae; qui sub Aureliano Imperatore, diversis atrocibusque suppliciis cruciati, coronam martyrii meruerunt.

Alexandriae sanctorum Martyrum Tryphonis et aliorum duodecim.

Constantinopoli sanctorum Eulogii et Sociorum Martyrum.

Caesareae, in Cappadocia, sancti Hyacinthi, qui Trajani Imperatoris cubicularius fuit; et, accusatus quod Christianus esset, plagis varie afflictus est, atque, in carcerem trusus, ibi fame consumptus exspiravit.

Eodem die sanctorum Martyrum Marci et Muciani, qui pro Christo sunt gladio caesi. Hos cum puer parvulus, ne immolarent idolis, alta voce moneret, verberibus jussus est caedi; cumque vehementius Christum confiteretur, tandem, una cum quodam Paulo, Martyres exhortante, necatus est.

Laodiceae, in Syria, sancti Anatolii Episcopi, qui non solum religiosus viris, sed et philosophis admiranda scripta reliquit.

Altini, in Venetorum finibus, sancti Heliodori Episcopi, doctrina et sanctitate insignis.

Ravennae sancti Dathi, Episcopi et Confessoris.

Edessae, in Mesopotamia, Translatio sancti Thomae Apostoli ex India; cujus reliquiae Ortonam, apud Frentanos, postea translatae sunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Julii**

**Quarto Nonas Julii.**

**vij. F**

Stremotii, in Lusitania, natalis sanctae Elisabeth Viduae, Lusitanorum Reginae, quam, virtutibus et miraculis claram, Urbanus Octavus, Pontifex Maximus, in Sanctorum numerum retulit. Ejus tamen celebritas octavo Idus mensis hujus recolitur, ex dispositione Innocentii Papae Duodecimi.

Sanctorum Osee et Aggaei Prophetarum.

In territorio Bituricensi sancti Lauriani, Episcopi Hispalensis et Martyris, cujus caput Hispalim, in Hispania, delatum est.

In Africa natalis sancti Jucundiani Martyris, pro Christo in mare demersi.

Sirmii sanctorum Martyrum Innocentii et Sebastiae, cum aliis triginta.

Madauri, in Africa, sancti Namphanionis Martyris et Sociorum, quos ille roboravit ad pugnam, et ad coronam provexit.

Cyrene, in Libya, sancti Theodori Episcopi, qui, in persecutione Diocletiani, sub Digniano Praeside, plumbatis caesus et lingua abscissus est; atque in pace tandem Confessor occubuit.

Augustae, in Rhaetia, sancti Uldarici Episcopi, mirae abstinentiae, largitatis et vigilantiae virtute, ac miraculorum dono illustris.

Turonis, in Gallia, Translatio sancti Martini, Episcopi et Confessoris; et Dedicatio Basilicae suae hoc ipso die, quo etiam is ante aliquot annos in Episcopum fuerat ordinatus.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Julii**

**Tertio Nonas Julii.**

**vij. G**

Cremonae, in Insubria, sancti Antonii-Mariae Zaccaria Confessoris, qui Clericorum Regularium sancti Pauli et Angelicarum Virginum fuit Institutor; atque, virtutibus omnibus et miraculis insignis, a Leone Papa Decimo tertio inter Sanctos adscriptus est. Ejus corpus Mediolani, in Ecclesia sancti Barnabae, colitur.

Romae sanctae Zuae Martyris, uxoris beati Nicostrati Martyris, quae, sub Diocletiano Imperatore, dum ad confessionem beati Petri Apostoli oraret, a persecutoribus est arctata et in custodiam obscurissimam trusa; deinde, collo et capillis in arbore, adhibito subter horribili fumo, suspensa est, et ita, in confessione Domini, emisit spiritum.

Hierosolymis sancti Athanasii Diaconi, qui, pro sancta Synodo Chalcedonensi, ab haereticis comprehensus et omnium cruciatuum expertus genera, ferro tandem necatus

est.

In Syria natalis sancti Domitii Martyris, qui virtutibus suis multa incolis praestat beneficia.

In Sicilia sanctorum Martyrum Agathonis et Triphinae.

Tomis, in Scythia, sanctorum Martyrum Marini, Theodoti et Sedophae.

Cyrene, in Libya, sanctae Cyrillae Martyris, quae, in persecutione Diocletiani, ardetes carbones cum thure super manum positos diu tenuit, ne, prunas excutiendo, thus obtulisse videretur; deinde, saevissime laniata, proprio decorata sanguine migravit ad Sponsum.

Treviris sancti Numeriani, Episcopi et Confessoris.

Apud Septempedanos, in Piceno, sanctae Philomenae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Julii**

**Pridie Nonas Julii.**

**vij. A**

Octava sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.

Hierosolymis sancti Isaiae Prophetae, qui, sub Manasse Rege, in duas sectus partes occubuit, sepultusque est sub quercu Rogel, juxta transitum aquarum.

Faesulis, in Tuscia, sancti Romuli, Episcopi et Martyris, qui fuit beati Petri Apostoli discipulus. Hic, ab eodem Apostolo missus ad praedicandum Evangelium, in multis Italiae locis Christum annuntiavit; ac tandem, Faesulas regressus, ibi, sub Domitiano Principe, martyrio coronatus est cum aliis Sociis.

Romae natalis sancti Tranquillini Martyris, patris sanctorum Marci et Marcelliani, qui, ad praedicationem sancti Sebastiani Martyris conversus ad Christum, a beato Polycarpo Presbytero baptizatus est, et a sancto Cajo Papa Presbyter ordinatus. Ipse, die Octavarum Apostolorum, cum ad confessionem beati Pauli oraret, ibidem, sub Diocletiano Imperatore, a Paganis tentus est, et, ab eis lapidatus, martyrium consummavit.

Londini, in Anglia, sancti Thomae More, regni Cancellarii, qui, pro fide catholica ac beati Petri primatu, iubente Henrico Octavo Rege, decollatus est.

In Campania sanctae Dominicae, Virginis et Martyris, quae, sub Diocletiano Imperatore, cum fregisset idola, hinc ad bestias damnata, sed ab illis nil laesa, demum, capite obtruncata, migravit ad Dominum. Ipsius vero corpus Tropeae, in Calabria, summa veneratione asservatur.

Eodem die sanctae Luciae Martyris, quae, natione Campana, a Rixio Varo Vicario tenta et acriter cruciata, eundem convertit ad Christum; quibus adjuncti sunt Antoninus, Severinus, Diodorus, Dion, et alii decem et septem, qui in passione collegae et in corona fuere

consortes.

Neptuni, in Latio, sanctae Mariae Goretti, piissimae adolescentis, in defendenda virginitate crudelissime necatae, quam Pius Papa Duodecimus sanctarum Martyrum catalogo solemniter accensuit.

In pago Trevirensi sancti Goaris, Presbyteri et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Julii**

**Nonis Julii.**

**vij. B**

Sanctorum Episcoporum et Confessorum Cyrilli et Methodii fratrum, quorum natalis respective agitur sextodecimo Kalendas Martii et octavo Idus Aprilis.

Romae sanctorum Martyrum Claudii Commentariensis, Nicostrati primiscrinii, qui fuit vir beatae Martyris Zuae, Castorii, Victorini et Symphoriani; quos omnes sanctus Sebastianus ad fidem Christi perduxit, et beatus Polycarpus Presbyter baptizavit. Eisdem, in perquirendis sanctorum Martyrum corporibus occupatos, Fabianus Judex comprehendi jussit, et, cum eos, per decem dies minis et blanditiis exagitans, in nullo penitus posset commovere, jussit tertio torqueri, ac postea in mare praecipites dari.

Dyrrachii, in Macedonia, sanctorum Martyrum Peregrini, Luciani, Pompeji, Hesyhii, Papii, Saturnini et Germani; qui, natione Itali, in persecutione Trajani, cum ad eam

urbem confugissent, et ibi sanctum Astium Episcopum, pro fide Christi, in cruce pendentem viderent, ac se pariter Christianos esse palam confiterentur, ideo, Praesidis jussu, tenti sunt atque in mare demersi.

Brixiae sancti Apollonii, Episcopi et Confessoris.

Eystadii, in Germania, sancti Willebaldi, ejusdem urbis primi Episcopi, qui filius exstitit sancti Richardi, Anglorum Regis, et frater sanctae Walburgae Virginis; atque, una cum sancto Bonifatio, laborans in Evangelio, multas gentes convertit ad Christum.

Arvernus, in Gallia, sancti Illidii Episcopi.

Urgellae, in Hispania Tarraconensi, sancti Odonis Episcopi. In Anglia sancti Heddae, Episcopi Saxonum occidentalium.

Alexandriae natalis sancti Pantaeni, viri Apostolici et omni sapientia adornati, cui tantum studii et amoris erga verbum Dei fuit, ut etiam ad praedicandum Christi Evangelium gentibus quae in Orientis ultimis secessibus reconduntur, fidei et devotionis calore succensus, profectus sit; ac demum, Alexandriam reversus, ibi, sub Antonino Caracalla, in pace quievit.

Eboriaci, in territorio Meldensi, sanctae Edilburgae, Abbatissae et Virginis, Anglorum Regis filiae.

Perusiae Beati Benedicti Papae Undecimi, Tarvisini, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris; qui, brevi Pontificatus sui spatio, Ecclesiae pacem, disciplinae restaurationem,



religionis incrementum mirifice promovit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Julii**

**Octavo Idus Julii.**

**vij. C**

Sanctae Elisabeth Viduae, Lusitanorum Reginae, quae ad regnum caeleste quarto Nonas hujus mensis transivit.

In Asia minore sanctorum Aquilae et Priscillae uxoris, de quibus in Actibus Apostolorum scribitur.

Herbipoli, in Germania, sancti Chilianus Episcopi, qui, a Romano Pontifice ad praedicandum Evangelium missus, ibi, cum multos ad Christum perduxisset, una cum Sociis Colomanno Presbytero, et Totnans Diacono, trucidatus est.

In Portu Romano sanctorum quinquaginta militum Martyrum, qui, in sanctae Bonosae confessione ad fidem adducti, et a beato Felice Papa Primo baptizati, in Aureliani Imperatoris persecutione occisi sunt.

Caesareae, in Palaestina, sancti Procopii Martyris, qui, sub Diocletiano Imperatore, a Scythopoli ductus Caesaream, illic, ad primam responsionem ejus confidentiam, a Judice Fabiano est capite caesus.

Constantinopoli passio sanctorum Monachorum Abrahamitarum, qui ob cultum sanctarum Imaginum, resistentes Theophilo Imperatori, martyrium

consummarunt.

Spinae Lamberti, in Aemilia, sancti Hadriani Papae Tertii, studio conciliandi Romanae Ecclesias Orientales insignis, ac miraculis clari; cujus corpus in monasterium Nonantulense fuit delatum, et in aede sancti Silvestri honorifice conditum.

Treviris sancti Auspicii, Episcopi et Confessoris.

Romae beati Eugenii Papae Tertii, qui, postquam coenobium sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias magna sanctimoniae ac prudentiae laude rexisset, Ecclesiam universam, Pontifex Maximus renuntiatus, sanctissime gubernavit. Cultum autem, ab immemorabili tempore ipsi exhibitum, Pius Papa Nonus ratum habuit et confirmavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Julii**

**Septimo Idus Julii.**

**vij. D**

Romae, ad Guttam jugiter manantem, natalis sanctorum Martyrum Zenonis, et aliorum decem millium ac ducentorum trium.

Gortynae, in Creta, sancti Cyrilli Episcopi, qui, in persecutione Decii, sub Lucio Prseside, flammis est injectus, et, cum ab igne, incensis vinculis, illaesus evasisset, ac stupore tanti miraculi a Judice dimissus esset,

rursus ab eodem, pro instanti et alacri fidei praedicatione facta de Christo, comprehensus et capite plexus est.

Brilae, in Hollandia, passio novemdecim Martyrum, Gorcomiensium nuncupatorum; quorum ex numero novem Sacerdotes ac duo Laici erant Fratres Minores, quatuor Presbyteri saeculares, duo Praemonstratenses, unus Regularis Canonicus sancti Augustini, et unus Dominicanus. Hi omnes, ob tuendam Ecclesiae Romanae auctoritatem et realem Christi in Eucharistia praesentiam, a Calvinianis haereticis varia ludibria et tormenta perpassi, tandem, in trabem acti, agonem suum, adstrictis laqueo faucibus, consummarunt; et a Pio Nono, Pontifice Maximo, inter sanctos Martyres relati sunt.

In civitate Thora, apud lacum Velinum, item passio sanctorum Anatoliae et Audacis, sub Decio Imperatore. Ex his Anatolia, Christi Virgo, postquam plurimos per totam Piceni provinciam variis languoribus affectos curasset et in Christum credentes fecisset, Judicis Faustianiani jussu diversis poenarum generibus est vexata, et, cum ab immisso serpente libera evadens Audacem convertisset ad fidem, novissime, extensis manibus orans, gladio transverberata est; Audax quoque, in custodiam traditus, sine mora sententia capitali coronatur.

Alexandriae sanctorum Martyrum Patermuthii, Copretis et Alexandri; qui sub Juliano Apostata caesi sunt.

Martulae, in Umbria, sancti Briccii Episcopi, qui, sub Marciano Judice, ob confessionem Domini, multa passus est; ac tandem, cum magnam populi multitudinem ad

Christum convertisset, Confessor in pace quievit.

Tiferni, in Umbria, sanctae Veronicae de Julianis Virginis, in Urbaniensis dioecesis oppido Mercatello natae, Monialis e secundo sancti Francisci Ordine ac Tifernatis Asceterii Abbatisse; quam, insigni patiendi stidio, ceterisque virtutibus, et caelestibus charismatibus illustrem, Gregorius Papa Decimus sextus in sanctarum Virginum collegium adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Julii**

**Sexto Idus Julii.**

**vij. E**

Romae passio sanctorum septem Martyrum fratrum, filiorum sanctae Felicitatis Martyris, id est Januarii, Felicis, Philippi, Silvani, Alexandri, Vitalis et Martialis, tempore Antonini Imperatoris, sub Praefecto Urbis Publio. Ex ipsis vero Januarius, post virgarum verbera et carceris macerationem, plumbatis occisus; Felix et Philippus fustibus mactati; Silvanus praecipitio interemptus; Alexander, Vitalis et Martialis capitali sententia puniti sunt.

Item Romae sanctarum Virginum et Martyrum Rufinae et Secundae sororum, quae, in persecutione Valeriani et Gallieni, tormentis subactae sunt; atque ad ultimum, cum alteri caput illis esset gladio, et alteri cervix caesa, migrarunt in caelum. Ipsarum vero corpora in Basilica Lateranensi, prope Baptisterium, debito honore servantur.

In Africa sanctorum Martyrum Januarii, Marini, Naboris et Felicis, qui gladio decollati sunt.

Nicopoli, in Armenia, sanctorum Martyrum Leontii, Mauritii, Danielis et Sociorum; qui, sub Licinio Imperatore et Lysia Praeside, varie excruciiati, tandem, in ignem coniecti, martyrii cursum confecerunt.

In Pisidia sanctorum Martyrum Bianoris et Silvani, qui saevissima pro Christi nomine passi, demum, cervicibus abscissis, coronantur.

Iconii, in Lycaonia, sancti Apollonii Martyris, qui per crucem insigne martyrium consummavit.

Apud Gandavum, in Flandria, sanctae Amelbergae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Julii**

**Quinto Idus Julii.**

**xiv. F**

Romae sancti Pii Primi, Papae et Martyris; qui martyrio coronatus est in persecutione Marci Aurelii Antonini.

Bergomi sancti Joannis Episcopi, qui, ob tuendam catholicam fidem, ab Arianis occisus est.

Sidae, in Pamphylia, sancti Cindei Presbyteri, qui, sub Diocletiano Imperatore et Stratonico Praeside, post multa

tormenta, injectus in ignem et nil laesus, demum in oratione reddidit spiritum.

Cordubae, in Hispania, sancti Abundii Presbyteri, qui, in persecutione Arabica, cum in Mahumetis sectam inveheretur, martyrio coronatus est.

Nicopoli, in Armenia, natalis sanctorum Martyrum Januarii et Pelagiae, qui, equuleo, ungulis et testarum fragmentis per dies quatuor cruciati, martyrium impleverunt.

In territorio Senonensi sancti Sidronii Martyris.

Iconii, in Lycaonia, sancti Marciani Martyris, qui, sub Perennio Praeside, per multa tormenta pervenit ad palmam.

Brixiae sanctorum Martyrum Savini et Cypriani.

In territorio Pictaviensi sancti Sabini Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Julii**

**Quarto Idus Julii.**

**xij. G**

In monasterio Passiniano, prope Florentiam, sancti Joannis Gualberti Abbatis, qui fuit Institutor Ordinis Vallis Umbrosae.

Laudae, in Insubria, sanctorum Martyrum Naboris et Felicis, qui, in persecutione Maximiani, post varia

tormenta, capitis decollatione martyrium compleverunt; eorumque corpora a beata Savina Mediolanum advecta sunt, ibique honorifice sepulta.

In Cypro beati Jasonis, qui fuit unus ex antiquis Christi discipulis.

Lucae, in Tuscia, beati Paulini, qui a sancto Petro Apostolo primus ejusdem civitatis Episcopus est ordinatus; et, sub Nerone, ad radices montis Pisani, post multos agones, martyrium suum cum aliis Sociis consummavit.

Aquilejae natalis sancti Hermagorae, qui exstitit discipulus beati Marci Evangelistae, et primus ejusdem civitatis Episcopus. Hic, inter miracula sanitarum, et praedicationis instantiam, ac populorum conversionem, plurima poenarum genera expertus, tandem, una cum Diacono suo Fortunato, capitali supplicio perpetuum meruit obtinere triumphum.

Eodem die passio sanctorum Procli et Hilarionis, qui, sub Trajano Imperatore et Maximo Praeside, per acerbissima tormenta ad palmam martyrii pervenerunt.

Toleti, in Hispania, sanctae Marcianae, Virginis et Martyris; quae pro fide Christi, objecta bestiis atque a tauro discerpta, martyrio coronatur.

Apud Leontinos, in Sicilia, sanctae Epiphanae, quae sub Diocletiano Imperatore et Tertullo Praeside, uberibus praecisis, reddidit spiritum.

Lugduni, in Gallia, sancti Viventioli Episcopi.

Bononiae sancti Paterniani Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Julii**

**Tertio Idus Julii.**

**xij. A**

Romae sancti Anacleti, Papae et Martyris, qui, post sanctum Clementem Ecclesiam Dei regens, eam glorioso martyrio decoravit.

Bambergae natalis sancti Henrici Primi, Imperatoris Romanorum et Confessoris, qui cum sancta Cunegunde, uxore sua, perpetuam virginitatem servavit, et sanctum Stephanum, Hungarorum Regem, cum universo fere ipsius regno, ad fidem Christi suscipiendam perduxit. Ejus autem festivitas Idibus mensis hujus celebratur.

In Palaestina sanctorum Joelis et Esdrae Prophetarum.

In Macedonia beati Silae, qui, cum esset unus de primis fratribus et ab Apostolis ad Ecclesias Gentium, una cum Paulo et Barnaba, destinatus, praedicationis officium, gratia Dei plenus, instanter consummavit, atque, in passionibus suis Christum clarificans, postmodum requievit.

Item sancti Serapionis Martyris, qui, sub Severo Imperatore et Aquila Praeside, per ignem pervenit ad coronam martyrii.

In insula Chio sanctae Myropis Martyris, quae sub Decio



Imperatore et Numeriano Praeside, vectibus contusa, migravit ad Dominum.

In Africa sanctorum Confessorum Eugenii, Carthaginensis Episcopi, fide ac virtutibus gloriosi, et universi cleri ejusdem Ecclesiae, qui fere quingenti, vel eo amplius, in persecutione Wandalica, sub Ariano Rege Hunnerico, caede inediaque macerati (inter quos plurimi erant Lectores infantuli), gaudentes in Domino, exsilio crudeli procul extrusi sunt. Erant etiam nobilissimi in eis Archidiaconus, nomine Salutaris, et Muritta, secundus in officio ministrorum; qui, tertio Confessores effecti, ambo gloriose in Christo, perseverantiae titulo, illustrati sunt.

In Britannia minore sancti Turiavi, Episcopi et Confessoris, mirae simplicitatis et innocentiae viri.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Julii**

**Pridie Idus Julii.**

**xj. B**

Sancti Bonaventurae, ex Ordine Minorum, Cardinalis et Episcopi Albanensis, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; qui sequenti die migravit ad Dominum.

Romae natalis sancti Camilli de Lellis, Presbyteri et Confessoris, Clericorum Regularium infirmis ministrantium Institutoris; quem, virtutibus et miraculis clarum, Summus Pontifex Benedictus Decimus quartus in Sanctorum numero recensuit, et Leo Decimus tertius caelestem hospitalium et

infirmorum Patronvun renuntiavit. Ipsi tamen festivitàs quintodecimo Kalendas Augusti recolitur.

Item Romae sancti Justi militis, qui, sub Claudio Tribuno, apparente sibi divinitus Cruce, credidit in Christum, et, mox baptizatus, omnia sua pauperibus erogavit; tentus deinde a Magnetio Praefecto, atque verberari nervis, galea ignita contegi et in rogam immitti jussus ac ne in capillo quidem laesus, in Domini confessione reddidit spiritum.

Synope, in Ponto, sancti Phocae Martyris, ejusdem civitatis Episcopi, qui, sub Trajano Imperatore, carcerem, vincula, ferrum ignemque pro Christo superans, evolavit in caelum. Ejus reliquiae postea Viennam, in Gallia, sunt delatae, et in Basilica sanctorum Apostolorum conditae.

Alexandriae sancti Heraclae Antistitis, ob cujus celeberrimam opinionem, Africanus historiographus memorat se Alexandriam, ad eum visendum, properasse.

Carthagine sancti Cyri Episcopi, in cujus festivitàte sanctus Augustinus de eo sermonem ad populum habuit.

Novocomi sancti Felicis, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus.

Brixiae sancti Optatiani Episcopi.

Daventriae, in Belgis, sancti Marcellini, Presbyteri et Confessoris.

Limae, in Peruvia, sancti Francisci Solani, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris; qui, praedicatione, signis et virtutibus apud Indos occidentales illustris, migravit ad Dominum, atque a Benedicto Decimo tertio, Pontifice Maximo, Sanctorum fastis adscriptus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Julii**

**Idibus Julii.**

**x. C**

Sancti Henrici Primi, Imperatoris Romanorum et Confessoris, cujus dies natalis tertio Idus mensis hujus recensetur.

Lugduni, in Gallia, depositio sancti Bonaventurae, Cardinalis et Episcopi Albanensis, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, ex Ordine Minorum, doctrina et vitae sanctitate celeberrimi. Ipsi tamen festivitas pridie hujus diei recolitur.

Papiae sancti Felicis, Episcopi et Martyris.

In Portu Romano natalis sanctorum Martyrum Eutropii, atque Zosimae et Bonosae sororum.

Carthagine beati Catulini Diaconi, de cujus laudibus sanctus Augustinus sermonem ad populum habuit, et sanctorum Januarii, Florentii, Juliae et Justae Martyrum; qui positi sunt in Basilica Fausti.

Alexandriae sanctorum Martyrum Philippi, Zenonis, Narsei et decem infantum.

In insula Tenedo sancti Abudemii Martyris, qui sub Diocletiano passus est.

Sebaste, in Armenia, sancti Antiochi medici, qui, sub Hadriano Praeside, capite obruncatus est; cumque ex eo lac pro sanguine manaret, Cyriacus carnifex, conversus ad Christum, et ipse martyrium subiit.

Nisibi, in Mesopotamia, natalis sancti Jacobi, ejusdem urbis Episcopi, magnae sanctitatis viri. Hic, miraculis et eruditione clarus, unus fuit, sub persecutione Galerii Maximiani, ex numero Confessorum, qui in Nicaena deinde Synodo perversitatem Arii, Homousii oppositione, damnarunt; cujus et sancti Alexandri Episcopi oratione ipse Arius condignam suae iniquitatis mercedem, effusis visceribus, Constantinopoli recepit.

Neapoli, in Campania, sancti Athanasii, ejusdem civitatis Episcopi, qui, ab impio nepote Sergio multa passus ac sede pulsus, tandem Verulis, in Hernicis, confectus aerumnis, migravit in caelum, tempore Caroli Calvi.

Campi Salentinorum, in Apulia, sancti Pompilii Mariae Pirrotti, Confessoris, ex Ordine Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, vita apostolica praeclari, a Pio Undecimo, Pontifice Maximo, inter Sanctos relati.

Panormi Inventio corporis sanctae Rosaliae, Virginis

Panormitanae; quod, Urbano Octavo Pontifice Maximo, repertum divinitus, Jubilaei anno Siciliam a peste liberavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Julii**      **Decimo septimo Kalendas Augusti. ix. D**

Festum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo.

Sebaste, in Armenia, sanctorum Martyrum Athenogenis Episcopi, et decem discipulorum ejus, sub Diocletiano Imperatore.

Treviris sancti Valentini, Episcopi et Martyris.

Cordubæ, in Hispania, sancti Sisenandi, Levitæ et Martyris; qui a Saracenis, pro Christi fide, jugulatus est.

Eodem die natalis sancti Fausti Martyris, qui, sub Decio Imperatore, cruci affixus, quinque diebus in ea vixit, ac demum, sagittis confossus, migravit in caelum.

Santis, in Gallia, sanctorum Martyrum Raineldis Virginis, et Sociorum ejus, qui a barbaris, pro Christi fide, csesi sunt.

Bergomi sancti Domnionis Martyris.

Antiochiæ natalis beati Eustachii, Episcopi et Confessoris, doctrina et sanctitate celebris; qui, sub Ariano Imperatore Constantio, ob catholicæ fidei defensionem, exsilio Trajanopolim Thraciæ pulsus, ibidem in Domino requievit.

Capuae sancti Vitaliani, Episcopi et Confessoris.

Apud Abbatiam Sanctissimi Salvatoris, dioecesis Constantiensis, in Gallia, sanctae Mariae-Magdalенаe Postel, Fundatricis Instituti Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia, a Pio Papa Undecimo in sanctarum Virginum album relatae.

Apud Ostia Tiberina, Translatio corporis sancti Hilarini Monachi, qui, una cum sancto Donato, in persecutione Juliani Apostatae, comprehensus est, et, cum nollet sacrificare, demum, fustibus caesus, Aretii, in Tuscia, martyrium sumpsit septimo Idus Augusti.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Julii**     **Sextodecimo Kalendas Augusti.**     **viiij. E**

Romae sancti Alexii Confessoris, ex Euphemiano Senatore progeniti. Hic, prima nocte nuptiarum, sponsa intacta, e domo sua abscedens, ac, post longam peregrinationem, ad Urbem rediens, decem et septem annos tamquam egenus in domo paterna receptus hospitio, nova mundum arte deludens, incognitus mansit; sed post obitum, et voce per Urbis Ecclesias audita et scripto suo agnitus, Innocentio Primo Pontifice Maximo, ad sancti Bonifatii Ecclesiam summo honore delatus est, ibique multis miraculis claruit.

Carthagine natalis sanctorum Martyrum Scillitanorum, id

est Sperati, Narzalis, Cythini, Veturii, Felicis, Acyllini, Laetantii, Januariæ, Generosæ, Vestinæ, Donatæ et Secundæ; qui, jussu Saturnini Præfecti, post primam Christi confessionem, in carcerem trusi et in ligno confixi, deinde gladio decollati sunt. Sperati autem reliquiae, cum ossibus beati Cypriani et capite sancti Pantaleonis Martyris, ex Africa in Gallias translatae, Lugduni, in Basilica sancti Joannis Baptistæ, religiose conditæ fuerunt.

Amastride, in Paphlagonia, sancti Hyacinthi Martyris, qui sub Castritio Præsidente, multa passus, quievit in carcere.

Tibure sancti Generosi Martyris.

Constantinopoli sanctæ Theodotæ Martyris, sub Leone Iconoclasta.

Romæ depositio sancti Leonis Papæ Quarti.

Papiae sancti Ennodii, Episcopi et Confessoris.

Antisiodori sancti Theodosii Episcopi.

Mediolani sanctæ Marcellinæ Virginis, sororis beati Ambrosii Episcopi, quæ Romæ, in Basilica sancti Petri, a Liberio Papa velum consecrationis accepit; cujus etiam sanctitatem idem beatus Ambrosius scriptis suis testatam facit.

Venetis Translatio sanctæ Marinae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Julii**    **Quintodecimo Kalendas Augusti.**    **vij. F**

Sancti Camilli de Lellis, Presbyteri et Confessoris, Clericorum Regularium infirmis ministrantium Institutoris, caelestis hospitalium et infirmorum Patroni; cujus dies natalis pridie Idus Julii recolitur.

Tibure sanctae Symphorosae, uxoris sancti Getulii Martyris, cum septem filiis suis, scilicet Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo et Eugenio. Horum mater, sub Hadriano Principe, ob insuperabilem constantiam, primo caesa diu palmis, deinde crinibus suspensa, novissime saxo alligata, in flumen praecipitata est; filii autem, stipitibus ad trochleas extensi, diverso mortis exitu martyrium compleverunt. Eorumdem corpora postea Romam translata, et, Pio Quarto Summo Pontifice, in Diaconia sancti Angeli in Piscina fuerunt inventa.

Trajecti sancti Friderici, Episcopi et Martyris.

Dorostori, in Mysia inferiore, sancti Aemiliani Martyris, qui, tempore Juliani Apostatae, sub Capitolino Praeside, in fornacem injectus, martyrii palmam accepit.

Carthagine sanctae Gundenis Virginis, quae, jussu Rufini Proconsulis, ob Christi confessionem, quater diversis temporibus per extensionem in equuleo torta, et unguibus horrende lacerantibus cruciata, carceris squalore diu afflicta, novissime gladio caesa est.



Gallaeciae, in Hispania, sanctas Marinae, Virginis et Martyris.

Mediolani sancti Materni Episcopi, qui, sub Maximiano Imperatore, pro fide Christi et pro Ecclesia sibi commissa, in carcerem detrusus et saepe verberibus caesus est; ac tandem, multis confessionibus clarus, obdormivit in Domino.

Brixiae natalis sancti Philastrii, qui fuit ejusdem civitatis Episcopus. Hic adversus haereticos, praesertim Arianos, a quibus multa passus est, plurimum verbis scriptisque pugnavit; demum, clarus miraculis, Confessor in pace quievit.

Metis, in Gallia, sancti Arnulphi Episcopi, qui, sanctitate et miraculis illustris, eremiticam delegit vitam, et beato fine quievit.

Signiae sancti Brunonis, Episcopi et Confessoris.

Foro Pompilii, in Aemilia, sancti Ruffilli, ejusdem civitatis Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Julii**    **Quartodecimo Kalendas Augusti.**    **vj. G**

Sancti Vincentii a Paulo, Presbyteri et Confessoris, Congregationis Presbyterorum Missionis et Puellarum Caritatis Fundatoris, caelestis omnium caritatis Societatum Patroni; qui in Domino obdormivit quinto Kalendas Octobris.

Colossis, in Phrygia, natalis sancti Epaphrae, quem sanctus Paulus Apostolus concaptivum appellat. Hic, ab eodem Apostolo Colossis Episcopus ordinatus, ibidem, clarus virtutibus, martyrii palmam, pro ovibus sibi commendatis, virili agone percepit; cujus corpus Romae, in Basilica sanctae Mariae Majoris, conditum est.

Treviris sancti Martini, Episcopi et Martyris.

Hispali, in Hispania, passio sanctarum Virginum Justae et Rufinae, quae, a Praeside Diogeniano comprehensae, primo equulei extensione et unguarum laniatione vexatae, postea carcere, inedia et variis torsionibus sunt afflictae; tandem Justa in carcere spiritum exhalavit, Rufinae vero cervix, in confessione Domini, confracta est.

Cordubae, in Hispania, sanctae Aureae Virginis, beatorum Adulphi et Joannis Martyrum sororis; quae aliquando in apostasiae crimen a Mahumetano Judice inducta est, sed mox, facti poenitens, iterato certamine, hostem effuso sanguine superavit.

Romae sancti Symmachi Papae, qui, a schismaticorum factione diutius fatigatus, demum, sanctitate conspicuus, migravit ad Dominum.

Veronae sancti Felicis Episcopi.

Apud Scetim, Aegypti montem, sancti Arsenii, Romanae Ecclesiae Diaconi; qui, Theodosii tempore, in solitudinem secessit, ibique, virtutibus omnibus consummatus et jugi lacrimarum imbre perfusus, spiritum Deo reddidit.

In Cappadocia sanctae Macrinae Virginis, filiae sanctorum Basilio et Emmeliae, atque sororis item sanctorum Episcoporum Basilio Magni, Gregorii Nysseni et Petri Sebastensis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Julii**    **Tertiodecimo Kalendas Augusti.**    **v. A**

Sancti Hieronymi Aemiliani Confessoris, Congregationis Somaschae Institutoris, caelestis omnium orphanorum ac derelictae juventutis Patroni; qui sexto Idus Februarii obdormivit in Domino.

Antiochiae passio sanctae Margaritae, Virginis et Martyris.

In monte Carmelo sancti Eliae Prophetae.

In Judaea natalis beati Joseph, qui cognominatus est Justus, quem Apostoli cum beato Matthia statuerunt ut locum apostolatus Judae proditoris impleret; sed, cum sors cecidisset super Matthiam, ipse, nihilominus praedicationis et sanctitatis officio inserviens, multamque pro fide Christi

a Judaeis persecutionem sustinens, victorioso fine quievit. De quo etiam refertur quod venenum biberit, et nihil ex hoc triste propter Domini fidem pertulerit.

Cordubae, in Hispania, sancti Pauli, Diaconi et Martyris; qui, cum infideles principes argueret Mahumeticae impietatis ac saevitiae, et Christum constantissime praedicaret, idcirco, eorum jussu necatus, ad praemia evolavit in caelum.

Damasci sanctorum Martyrum Sabini, Juliani, Maximi, Macrobiani, Cassiae et Paulae, cum aliis decem.

In Lusitania sanctae Wilgefortis, Virginis et Martyris; quae, pro Christiana fide ac pudicitia decertans, in cruce meruit gloriosum obtinere triumphum.

Eodem die natalis sanctorum Flaviani Secundi, Episcopi Antiocheni, et Eliae, Episcopi Hierosolymitani; qui, pro Synodo Chalcedonensi ab Anastasio Imperatore ambo in exsilium acti, victores migrarunt ad Dominum.

In pago Bononiensi, in Gallia, sancti Vulmari Abbatis, admirandae sanctitatis viri.

Treviris sanctae Severae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Julii**      **Duodecimo Kalendas Augusti.**      **iv. B**

Sancti Laurentii a Brundusio, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, qui sequenti die migravit in caelum.

Romae sanctae Praxedis Virginis, quae, in omni castitate et lege divina cum esset erudita, vigiliis et orationibus atque jejuniis assidue vacans, quievit in Christo, sepultaque est, juxta sororem suam Pudentianam, via Salaria.

Babylone sancti Danielis Prophetae.

Comanae, in Armenia, sancti Zotici, Episcopi et Martyris; qui sub Severo coronatus est.

Massiliae, in Gallia, natalis sancti Victoris, qui, cum esset miles, et nec militare neque idolis sacrificare vellet, hinc, primo in carcerem trusus ibique ab Angelo visitatus, deinde variis cruciatibus punitus, novissime, contritus in mola pistoria, martyrium consummavit. Passi sunt cum ipso et tres milites, id est Alexander, Felicianus et Longinus.

Trecis, in Gallia, passio sanctorum Claudii, Justi, Jucundini et Sociorum quinque, sub Aureliano Imperatore.

Ibidem sanctae Juliae, Virginis et Martyris.

Argentorati sancti Arbogasti Episcopi, miraculis clari.

In Syria sancti Joannis Monachi, qui exstitit collega sancti

Simeonis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Julii**

**Undecimo Kalendas Augusti. iij. C**

Apud Massiliam, in Gallia, natalis sanctae Mariae Magdalenae, de qua Dominus ejecit septem daemona, et quae ipsum Salvatorem a mortuis resurgentem prima videre meruit.

Ulyssipone, in Lusitania, item natalis sancti Laurentii a Brundusio, Confessoris, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, quem verbi Dei praedicatione, caelesti doctrina, pontificiis legationibus rebusque ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem feliciter gestis praeclarum, Leo Papa decimus tertius Sanctarum fastis adscripsit, et Summus Pontifex Joannes vigesimus tertius universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, ejusque festum pridie hujus diei celebrari jussit.

Philippis, in Macedonia, sanctae Synthyches, cujus meminit beatus Paulus Apostolus.

Ancyrae, in Galatia, natalis sancti Platonis Martyris, qui, sub Agrippino Vicario, verberibus caesus, uncis laniatus ferreis, aliisque immanissimis tormentorum generibus cruciatus, demum, abscisso capite, invictam animam Deo reddidit. Ipsius vero miracula in subveniendis captivis, Acta secundae Synodi Nicaenae testantur.

In Cypro sancti Theophili Praetoris, qui ab Arabibus tentus, et, cum nec donis nec minis flecti posset ut Christum negaret, gladio caesus est.

Antiochiae sancti Cyrilli Episcopi, doctrina et sanctitate conspicui.

Menati, in territorio Arvernensi, sancti Menelei Abbatis.

In monasterio Fontanellae, in Gallia, sancti Wandregisili Abbatis, miraculis clari; cujus corpus ad Blandinum monasterium, in Flandria, postea delatum fuit.

Scythopoli, in Palaestina, sancti Josephi Comititis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Julii**

**Decimo Kalendas Augusti. ij. D**

Ravennae natalis sancti Apollinaris Episcopi, qui, ab Apostolo Petro Romae ordinatus et Ravennam missus, pro fide Christi diversas et multiplices poenas perpressus est; postea, Evangelium in Aemilia praedicans, plurimos ab idolorum cultu revocavit; tandem, Ravennam reversus, gloriosum martyrium, sub Vespasiano Caesare, complevit.

Cenomanis, in Gallia, sancti Liborii, Episcopi et Confessoris.

Romae natalis sanctae Birgittae Viduae, quae, post multas sanctarum locorum peregrinationes, divino afflata Spiritu, quievit. Ipsius autem festivitas octavo Idus Octobris celebratur.

Ibidem sancti Rasyphi Martyris.

Item Romae passio sanctae Primitivae, Virginis et Martyris.

Item sanctorum Martyrum Apollonii et Eugenii.

Eodem die natalis sanctorum Martyrum Trophimi et Theophili, qui, sub Diocletiano Imperatore, caesi lapidibus et igne incensi, demum, gladio percussi, martyrio coronantur.

In Bulgaria sanctorum plurimorum Martyrum, quos impius Imperator Nicephorus, Ecclesias Dei devastans, diverso mortis genere, nimirum ense, laqueo, sagittis, diutino carcere et fame necari fecit.

Romae sanctarum Virginum Romulae, Redemptae et Herundinis, de quibus scribit sanctus Gregorius Papa.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Julii**

**Nono Kalendas Augusti.**

**j. E**

Vigilia sancti Jacobi Apostoli.



Tyri, apud lacum Vulsinium, in Tuscia, sanctae Christinae, Virginis et Martyris. Haec Virgo, cum patris idola aurea et argentea, in Christum credens, comminisset atque illorum fragmina pauperibus erogasset, ejusdem patris jussu verberibus dilaniata est, aliisque suppliciiis dirissime cruciata, et cum magno saxi pondere in lacum projecta, sed ab Angelo liberata; deinde, sub alio Judice, patris sui successore, acerbiora tormenta constanter pertulit; novissime, sub Juliano Praeside, post fornacem ardentem, ubi quinque diebus illaesa permansit, post serpentes virtute Christi superatos, martyrii sui cursum abscissione linguae et sagittarum infixione complevit.

Romae, via Tiburtina, sancti Vincentii Martyris.

Amiterni, in Vestinis, passio sanctorum militum octoginta trium.

Emeritae, in Hispania, sancti Victoris, viri militaris, qui, cum fratribus Stercatio et Antinogene, in persecutione Diocletiani, per diversa supplicia martyrium consummavit.

Item sanctorum Martyrum Menei et Capitonis.

In Lycia sanctarum Martyrum Nicetae et Aquilinae, quae, beati Christophori Martyris praedicatione ad Christum conversae, martyrii palmam obtruncatione capitis sumpserunt.

Apud Senonas sancti Ursidni, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Julii**

**Octavo Kalendas Augusti. \*.** F

Sancti Jacobi Apostoli, qui exstitit beati Joannis Evangelistae frater; et, prope festum Paschae ab Herode Agrippa decollatus, primus ex Apostolis coronam martyrii percepit. Ejus sacra ossa, ab Hierosolymis ad Hispanias hoc die translata, et in ultimis earum finibus apud Gallaeciam recondita, celeberrima illarum gentium veneratione, et frequenti Christianorum conctirsu, religionis et voti causa illuc adeuntium, pie coluntur.

In Lycia sancti Christophori Martyris, qui, sub Decio, virgis ferreis attritus, et e flammae aestuantis incendio superna Christi virtute servatus, ad ultimum, sagittarum ictibus confossus, capitis obtruncatione martyrium complevit.

Barcinone, in Hispania, natalis beati Cucuphatis Martyris, qui, in persecutione Diocletiani, sub Daciano Praeside, plurimis tormentis superatis, tandem, percussus gladio, victor migravit in caelum.

In Palaestina sancti Pauli Martyris, qui, in persecutione Maximiani Galerii, sub Firmiliano Praeside, capitis damnatus, et, exiguo orandi spatio impetrato, primum pro contribulibus suis, deinde pro Judaeis et Gentilibus, ut fidei veritatem agnoscerent, postea pro circumstantium multitudine, demum pro Judice qui ipsum damnaverat, et pro carnifice a quo feriendus erat, Deum toto corde

precatus, martyrii coronam, abscissis cervicibus, accepit.

Furconii, in Vestinis, sanctorum Martyrum Sipontinorum Florentii et Felicis.

Cordubae, in Hispania, sancti Theodemiri, Monachi et Martyris.

In Palaestina sanctae Valentinae Virginis, quae, cum ad aram, ut immolaret, adducta esset, eamque calcibus evertisset, prius dirissime cruciata est; deinde, una cum socia Virgine, in ignem coniecta cucurrit ad Sponsum.

Treviris sancti Magnerici, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Julii**                      **Septimo Kalendas Augusti. xxix. G**

Dormitio sanctae Annae, quae mater exstitit Immaculatae Virginis Genitricis Dei Mariae.

Philippis, in Macedonia, natalis sancti Erasti, qui, illic a beato Paulo Apostolo relictus Episcopus, ibidem martyrio coronatus est.

Romae, via Latina, sanctorum Martyrum Symphronii, Olympii, Theoduli et Exsuperiae; qui (ut in gestis sancti Stephani Papae legitur), ignibus combusti, martyrii palmam adepti sunt.

In Portu Romano sancti Hyacinthi Martyris, qui, primo in ignem injectus, deinde in profluentem praecipitatus, illaeus evasit; post haec, sub Trajano Imperatore, a Leontio Consulari percussus gladio, vitam finivit. Ipsius corpus Julia Matrona in praedio suo, juxta Urbem, sepelivit.

Veronae sancti Valentis, Episcopi et Confessoris.

Romae sancti Pastoris Presbyteri, cujus nomine Titulus exstat in Viminali, apud sanctam Pudentianam.

In monasterio sancti Benedicti, in agro Mantuano, sancti Simeonis, Monachi et Eremitae, qui, multis miraculis clarus, in senectute bona quievit.

Luere, in dioecesi Brixienti, sanctae Bartholomaeae Capitano, Virginis, Instituti Sororum a Caritate Fundatricis, puellis instituendis praeclarae, quam Pius Papa Duodecimus albo sanctarum Virginum adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Julii**                      **Sexto Kalendas Augusti.**                      **xxviiij. A**

Nicomediae passio sancti Pantaleonis medici, qui, pro fide Christi, a Maximiano Imperatore tentus, et equulei poena ac lampadarum exustione afflictus, sed inter haec, Domino sibi apparente, refrigeratus, gladii tandem ictu martyrrium consummavit.

Vigiliis, in Apulia, sanctorum Martyrum Mauri Episcopi, Pantaleomonis et Sergii; qui passi sunt sub Trajano.

Nicomediae sancti Hermolai Presbyteri, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem conversus est; itemque sanctorum Hermippi et Hermocratis fratrum, qui, post multas poenas sibi illatas, capitali sententia, ob confessionem Christi, a Maximiano Imperatore puniti sunt.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Georgii Diaconi, Aurelii et uxoris Nataliae, Felicis et uxoris Liliesae, in persecutione Arabica.

Nolae, in Campania, sanctorum Martyrum Felicis, Juliae et Jucundae.

Apud Homeritas, in Arabia, commemoratio sanctorum Martyrum, qui, sub Dunaan tyranno, ob Christi fidem, incendio traditi sunt.

Ephesi natalis sanctorum septem Dormientium, scilicet Maximiani, Malchi, Martiniani, Dionysii, Joannis, Serapionis et Constantini.

Romae sancti Caelestini Papae Primi, qui damnavit Constantinopolitanum Episcopnm Nestorium, Pelagiumque fugavit; cujus etiam auctoritate universalis sancta Synodus Ephesina adversus eundem Nestorium celebrata est.

Antisiodori depositio beati Aetherii, Episcopi et Confessoris.

Constantinopoli beatae Anthusae Virginis, quae, sub Constantino Copronymo, ob cultum sanctarum Imaginum, verberibus caesa et exsilio relegata, quievit in Domino.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Julii**

**Quinto Kalendas Augusti. xxvij. B**

Mediolani natalis sanctorum Martyrum Nazarii, et Celsi pueri, quos Anolinus, sub rabie persecutionis quae per Neronem excitata est, diu maceratos et afflictos in carcere, gladio feriri iussit.

Romae passio sancti Victoris Primi, Papae et Martyris. Item Romae sancti Innocentii Primi, Papae et Confessoris, qui ad Dominum migravit quarto Idus Martii.

Thebaide, in Aegypto, commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui in Decii et Valeriani persecutione passi sunt, quando Christianis, optantibus pro Christi nomine gladio percuti, callidus hostis, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. Ex eorum numero unus, post equuleos et laminas ac sartagine superatas, melle perunctus, ligatis manibus post tergum, sub ardentissimo sole, fucorum ac muscarum aculeis expositus fuit; alius, inter flores molliter vinctus, cum ad eum, ut concitaret in libidinem, impudissimum scortum venisset, praecisam morsu linguam in blandientis faciem exspuit.

Ancyrae, in Galatia, sancti Eustathii Martyris, qui, variis tormentorum generibus excruciat, atque demersus in flumen, sed inde ab Angelo ereptus, demum, columba e caelis adveniente, ad praemia aeterna vocatus est.

Mileti, in Caria, sancti Acatii Martyris, qui, sub Licinio Imperatore, post diversas poenas, injectus in fornacem ac Dei ope servatus illaesus, capitis abscissione martyrium complevit.

In Britannia minore sancti Sampsonis, Episcopi et Confessoris.

Lugduni, in Gallia, sancti Peregrini Presbyteri, cujus beatitudinem gloria miraculorum testatur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Julii**

**Quarto Kalendas Augusti. xxvj. C**

Tarasci, in Gallia Narbonensi, sanctae Marthae Virginis, hospitae Salvatoris nostri ac sororis beatorum Mariae Magdalenae et Lazari.

Romae, via Aurelia, sancti Felicis Secundi, Papae et Martyris; qui, ab Ariano Imperatore Constantio, ob catholicae fidei defensionem, e sede sua dejectus, et Cerse, in Tuscia, occulte gladio necatus, gloriose occubuit. Ejus corpus, inde a Clericis raptum, eadem via sepultum fuit;

postea vero, ad Ecclesiam sanctorum Cosmae et Damiani delatum, ibidem, Gregorio Decimo tertio Summo Pontifice, repertum est sub altari, una cum reliquiis sanctorum Martyrum Marci, Marcelliani et Tranquillini, atque in eodem loco, pridie Kalendas Augusti, simul cum eis reconditum. In quo etiam altari inventa fuerunt corpora sanctorum Martyrum Abundii Presbyteri, et Abundantii Diaconi; quae, non multo post, ad Ecclesiam Societatis Jesu solemniter translata sunt pridie natalis eorum.

Item Romae, via Portuensi, sanctorum Martyrum Simplicii, Faustini et Beatricis, temporibus Diocletiani Imperatoris. Horum duo primi, post multa et diversa supplicia, jussi sunt capitalem subire sententiam; Beatrix vero, eorum soror, in confessione Christi est in carcere praefocata.

Romae praeterea sanctorum Martyrum Lucillae et Florae Virginum, Eugenii, Antonini, Theodori, et Sociorum decem et octo; qui sub Gallieno Imperatore martyrium obierunt.

Item Romae sanctae Serapiae Virginis, quae, sub Hadriano Principe, cum esset tradita duobus lascivis juvenibus et minime potuisset illudi, nec postmodum ardentibus facibus inflammari, Derilli Judicis jussu fustibus caesa est, dehinc gladio decollata. Ejus corpus a beata Sabina in suo monumento, juxta aream Vindiciani, sepultum est; sed memoria ipsius martyrii tertio Nonas Septembris celebrior habetur, quo die ambarum sarcophagum ibi compositum et ornatum fuit, et locus orationis condigne dicatus.

Gangris, in Paphlagonia, sancti Callinici Martyris, qui, virgis ferreis verberatus aliisque suppliciis afflictus,



tandem, in fornacem injectus, spiritum Deo reddidit.

In Norvegia sancti Olavi, Regis et Martyris.

Trecis, in Gallia, sancti Lupi, Episcopi et Confessoris; qui, cum beato Germano, ad expugnandam Pelagianorum haeresim, in Britanniam perrexit, urbemque Trecas a furore Attilae, Galliam omnem devastantis, assidua oratione defendit; demum, quinquaginta duobus annis sacerdotio venerabiliter functus, in pace quievit.

In civitate Briocensi, in Gallia, sancti Gulielmi, Episcopi et Confessoris.

Item depositio beati Prosperi, Aurelianensis Episcopi.

Apud Tudertum, in Umbria, sancti Faustini Confessoris.

In civitate Mamiensi sanctae Seraphinae.

Romae beati Urbani Papae Secundi, qui, sancti Gregorii Septimi vestigia secutus, doctrinae et religionis studio enituit, et fideles Cruce signatos ad sacra Palaestinae loca ex infidelium dominio redimenda excitavit. Cultum autem, ab immemorabili tempore eidem exhibitum, Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus, ratum habuit et confirmavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Julii**

**Tertio Kalendas Augusti.**

**xxv. D**

Romae sanctorum Martyrum Abdon et Sennen Persarum, qui, sub Decio, catenis alligati et Romam adducti, pro Christi fide prius plumbatis caesi sunt, deinde gladio interfecti.

Assisii, in Umbria, sancti Rufini Martyris.

Tuburbi Lucernariae, in Africa, passio sanctarum Virginum Maximae, Donatillae et Secundae; quarum duae primae, in persecutione Valeriani et Gallieni, aceto et felle potatae, deinde plagis acerrimis caesae et equulei extensione cruciatae, craticulis etiam exustae et calce perfricatae, postmodum cum Secunda, Virgine duodecim annorum, ad bestias simul projectae, sed ab his intactae, novissime gladio jugulatae sunt.

Caesareae, in Cappadocia, sanctae Julittae Martyris, quae, cum bona sua, a quodam potente sibi usurpata, in iudicio repeteret, atque ille exceptionem daret quod ut Christiana non deberet audiri, mox a Iudice iussa est thus idolis offerre, ut posset audiri. Quod illa constanter recusans, in ignem coniecta est, sicque spiritum Deo reddidit; corpus autem a flamma remansit illaesum. Ejus praeclaras laudes sanctus Basilius Magnus egregio encomio celebravit.

Antisiodori sancti Ursi, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**31 Julii**

**Pridie Kalendas Augusti.**

**xxiv. E**

Romae natalis sancti Ignatii, Presbyteri et Confessoris, qui Fundator exstitit Societatis Jesu, atque vir fuit sanctitate et miraculis clarus, ac religionis catholicae ubique dilatandae studiosissimus; quem Pius Undecimus, Pontifex Maximus, caelestem omnium Exercitiorum spiritualium Patronum constituit.

Mediolani sancti Calimerii, Episcopi et Martyris; qui, in Antonini persecutione, comprehensus, vulneribus confossus, cervicibusque gladio transverberatis, praeceps in puteum dejectus, martyrii cursum confecit.

Caesareae, in Mauritania, passio beati Fabii Martyris, qui, cum ferre vexilla praesidalia recusaret, primo in carcerem trusus est, ibique diebus aliquot detentus; deinde, cum in confessione Christi, interrogatus semel et iterum, immobilis perduraret, sententia capitali a Judice condemnatur.

Synnadae, in Phrygia Pacatiana, sanctorum Martyrum Democriti, Secundi et Dionysii.

In Syria sanctorum trecentorum quinquaginta Monachonim Martyrum, qui, ob defensionem Synodi Chalcedonensis, ab haereticis sunt occisi.

Ravennae transitus sancti Germani, Antisiodorensis Episcopi, genere, fide, doctrina et miraculorum gloria clarissimi; qui Britanniam a Pelagianorum haeresibus penitus liberavit.

Tagaste, in Africa, sancti Firmi Episcopi, confessionis gloria conspicui.

Senis, in Tuscia, natalis beati Joannis Columbini, qui fuit Institutor Ordinis Jesuatorum, et sanctitate ac miraculis claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Augusti

**1 Augusti**

**Kalendis Augusti.**

**xxv.  
xxiv. C**

Romae, in Exquiliis, Dedicatio sancti Petri Apostoli ad Vincula.

Antiochiae passio sanctorum septem fratrum Machabaeorum Martyrum, qui, cum matre sua, passi sunt sub Antiocho Epiphane Rege. Eorum reliquiae, Romam translatae, in eadem Ecclesia sancti Petri ad Vincula condita; fuerunt.

Vercellis natalis sancti Eusebii, Episcopi et Martyris, qui, ob confessionem fidei catholicae, a Constantio Principe Scythopolim, in Palaestina, et inde in Cappadociam relegatus, postmodum ad Ecclesiam suam reversus, martyrium, persequentibus Arianis, passus est. Ipsius autem memoria etiam decimo octavo Kalendas Januarii solemniter habetur, quo die fuit Episcopus ordinatus; ejusque festum recolitur decimo septimo Kalendas Januarii.

Nuceriae Paganorum, in Campania, item natalis sancti Alfonsi-Mariae de Ligorio, Fundatoris Congregationis a sanctissimo Redemptore nuncupatae, Episcopi sanctae Agathae Gothorum et Confessoris, zelo animarum, scriptis, verbo et exemplo insignis; quem Summus Pontifex

Gregorius Decimus sextus albo Sanctorum adscripsit, et Pius Nonus Doctorem universalis Ecclesiae declaravit, et Pius Duodecimus omnium Confessariorum ac Moralistarum caelestem apud Deum Patronum constituit. Ipsius vero festivitas sequenti die celebratur.

Romae, via Latina, sanctorum Martyrum Boni Presbyteri, Fausti et Mauri, cum aliis novem; qui in Actis sancti Stephani Papae describuntur.

Item Romae passio sanctarum Virginum Fidei, Spei et Caritatis, e sancta Sophia matre progenitarum, quae, sub Hadriano Principe, martyrii coronam adeptae sunt.

Philippinae, in Arabia, sanctorum Martyrum Cyrilli, Aquilae, Petri, Domitiani, Rufi et Menandri, una die coronatorum.

Perge, in Pamphylia, sanctorum Martyrum Leontii, Attii, Alexandri, et aliorum sex agricolarum; qui, in persecutione Diocletiani, sub Flaviano Praeside, decollati sunt.

Gerundae, in Hispania, natalis sancti Felicis Martyris, qui, post diversa tormentorum genera, a Daciano tandem jussus est lanari, donec invictum Christo spiritum redderet.

In territorio Parisiensi sancti Justini Martyris.

Viennae, in Gallia, sancti Veri Episcopi.

Wintoniae, in Anglia, sancti Ethelwoldi Episcopi.

In pago Lisuino, in Gallia, sancti Nemesii Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Augusti**

**Quarto Nonas Augusti.**

**xxiiij. D**

Sancti Alfonsi-Mariae de Ligorio, Fundatoris Congregationis a sanctissimo Redemptore nuncupatae, Episcopi sanctae Agathae Gothorum, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, qui requievit in Domino pridie hujus diei.

Romae, in coemeterio Callisti, natalis sancti Stephani Primi, Papae et Martyris; qui, in persecutione Valeriani, dum Missae Sacrum perageret, et, supervenientibus militibus, ante altare intrepidus et immobilis coepta mysteria perficeret, in sede sua decollatus est.

Nicaeae, in Bithynia, passio sanctae Theodotae, cum tribus filiis suis. Ex his primogenitum, nomine Evodium, cum Christum fiducialiter confiteretur, fecit primo Nicetius, Consularis Bithyniae, fustibus caedi; deinde matrem, cum omnibus filiis, igne consumi.

In Africa sancti Rutilii Martyris, qui cum saepius, de loco in locum fugiens, persecutionem declinasset, et periculum interdum etiam pecunia redemisset, ex inopinato aliquando comprehensus est, et, Prsesidi oblatus, tormentis cruciatur plurimis; demum, ignibus traditus, egregio martyrio

coronatur.

Patavii sancti Maximi, ejusdem civitatis Episcopi, qui, miraculis clarus, beato fine quievit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Augusti**

**Tertio Nonas Augusti.**

**vij. E**

Hierosolymis Inventio beatissimi Stephani Protomartyris, et sanctorum Gamalielis, Nicodemi et Abibonis, sicut Luciano Presbytero divinitus revelatum est, Honorii Principis tempore.

Philippis, in Macedonia, sanctae Lydiae purpurariae, quae, praedicante ibidem sancto Paulo Apostolo, ut beatus Lucas in Actibus Apostolicis refert, omnium prima credidit Evangelio.

Neapoli, in Campania, sancti Aspreni Episcopi, qui a sancto Petro Apostolo, curatus ab infirmitate ac deinde baptizatus, ejusdem civitatis Episcopus ordinatus fuit.

Constantinopoli natalis sancti Hermelli Martyris.

Apud Indos, Persis finitimos, passio sanctorum Monachorum, et aliorum fidelium, quos Abenner Rex, persequens Ecclesiam Dei, diversis afflictos suppliciis, caedi jussit.



Augustoduni depositio sancti Euphronii, Episcopi et Confessoris.

Anagniae sancti Petri Episcopi, qui, monastica primum observantia, deinde pastorali vigilantia clarus, quievit in Domino.

Beroeae, in Syria, sanctarum mulierum Marana; et Cyrae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Augusti**

**Pridie Nonas Augusti.**

**vij. F**

Sancti Dominici Confessoris, qui Ordinis Fratrum Praedicatorum Fundator fuit, atque octavo Idus mensis hujus in pace quievit.

In vico Ars, dioecesis Bellicensis, in Gallia, natalis sancti Joannis Baptistae-Mariae Vianney, Presbyteri et Confessoris, in parochiali munere obeundo insignis, quem Pius Papa Undecimus in Sanctorum numerum retulit, ipsius festum quinto Idus mensis hujus agendum indixit, eumque omnium parochorum caelestem Patronum constituit.

Thessalonicae item natalis beati Aristarchi, qui discipulus et comes individuus fuit sancti Pauli Apostoli, de quo ipse Paulus ad Colossenses scribit: « Salutatur vos Aristarchus, concaptivus meus ». Is, ab eodem Apostolo Episcopus Thessalonicensium ordinatus, tandem, post longos agones,

sub Nerone, coronatus a Christo, quievit.

Romae sanctae Perpetuae, quae, a beato Petro Apostolo baptizata, Nazarium filium et Africanum virum ad Christi fidem perduxit, et multa sanctorum Martyrum corpora sepelivit; ac tandem, bonorum operum meritis cumulata, migravit ad Dominum.

Item Romae, via Latina, passio beati Tertullini, Presbyteri et Martyris; qui, sub Valeriano Imperatore, post impiam fustium mactationem, ignium circa latera exustionem, oris quassationem, atque in equuleo extensionem nervorumque caesionem, data sententia, capitis amputatione martyrium consummavit.

Constantinopoli sancti Eleutherii Martyris, ex ordine Senatorio viri, qui pro Christo, in persecutione Maximiani, gladio cassus est.

In Perside sanctarum Martyrum Iae et Sociarum; quae, cum novem millibus Christianis captivis, sub Sapore Rege, diversis poenis afflictas, martyrium subierunt.

Veronse sancti Agabii, Episcopi et Confessoris.

Turonis, in Gallia, sancti Euphronii Episcopi.

Colonias Agrippinae commemoratio sancti Protasii Martyris; qui Mediolani, una cum Gervasio fratre, passus est tertio decimo Kalendas Julii.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Augusti**

**Nonis Augusti.**

**vij. G**

Romae, in Exquiliis, Dedicatio Basilicae sanctae Mariae ad Nives.

Catalauni, in Gallia, sancti Memmii, civis Romani, qui, a sancto Petro Apostolo consecratus illius civitatis Episcopus, populum sibi commissum ad Evangelii veritatem perduxit.

Romae passio sanctorum Martyrum viginti trium, qui, in persecutione Diocletiani, via Salaria veteri, capite obruncati sunt, et, ad clivum Cucumeris, ibidem sepulti.

Asculi, in Piceno, sancti Emygdii, Episcopi et Martyris; qui, a sancto Marcello Papa Episcopus ordinatus et illuc ad praedicandum Evangelium missus, ibidem, in confessione Christi, sub Diocletiano Imperatore, martyrii coronam accepit.

Antiochiae sancti Eusignii militis, qui annum agens centesimum decimum, cum Constantini Magni fidem, sub quo militaverat, Juliano Apostatae exprobraret, eumque ut patriae pietatis desertorem redargueret, ab eodem jussus est capite caedi.

Item sanctorum Martyrum Aegyptiorum Cantidii, Cantidiani et Sobelis.

Augustae Vindellicorum natalis sanctae Aerae Martyris,

quae, cum esset pagana, per doctrinam sancti Narcissi Episcopi ad Christum est conversa, et, cum omnibus domus suae membris, ab eodem Episcopo baptizata; postmodum vero, ob Christi confessionem igni tradita, martyrium suum, septem diebus antequam beata Hilaria mater ac tres ancillae eodem cruciatus genere coronarentur, feliciter explevit.

Augustodiini beati Cassiani Episcopi.  
Apud Theanum, in Campania, sancti Paridis Episcopi.

In Anglia sancti Oswaldi Regis, cujus gesta sanctus Beda Venerabilis commemorat.

Eodem die sanctae Nonnae, quae fuit mater beatorum Gregorii Nazianzeni, Caesarii et Gorgoniae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Augusti**

**Octavo Idus Augusti.**

**vij. A**

In monte Thabor Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi.

Romae, via Appia, in coemeterio Callisti, natalis beati Xysti Secundi, Papae et Martyris, qui, in persecutione Valeriani, gladio animadversus, martyrii coronam accepit.

Item Romae sanctorum Martyrum Felicissimi et Agapiti, ipsius beati Xysti Diaconorum; Januarii, Magni, Vincentii et Stephani, Subdiaconorum. Hi omnes, una cum eodem Pontifice pariter decollati sunt, atque in Praetextati

coemeterio sepulti. Passus est etiam cum eis beatus Quartus, ut scribit sanctus Cyprianus.

Bononiae natalis sancti Dominici Confessoris, qui Ordinis Fratrum Praedicatorum Fundator exstitit. Hic vir, sanctitate et doctrina clarissimus, virginitatem perpetuo illibatam custodivit, et, ob singularem meritorum gratiam, tres mortuos suscitavit; cumque praedicatione sua compressisset haereses, ac plurimos ad religiosam et piam vitam instituisset, in pace quievit. Ejus autem festivitas pridie Nonas mensis hujus celebratur, ex constitutione Pauli Papae Quarti.

In monasterio sancti Petri de Cardegna, Ordinis sancti Benedicti, apud Burgos, in Hispania, passio ducentorum Monachorum cum Stephano Abbate, qui a Saracenis pro Jesu Christi fide interfecti sunt, atque ibidem in claustro a Christianis sepulti.

Compluti, in Hispania, sanctorum Martyrum Justi et Pastoris fratrum, qui, cum adhuc pueri litteris imbuerentur, sponte ad martyrium, projectis in schola tabulis, cucurrerunt; et mox, a Daciano Praeside teneri jussi et fustibus caedi, ambo, cum se mutuis exhortationibus constantissime corroborarent, extra civitatem perducti sunt, et ibi a carnifice jugulati.

Romae sancti Hormisdæ, Papae et Confessoris.

Amidæ, in Mesopotamia, sancti Jacobi Eremitae, miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Augusti**

**Septimo Idus Augusti.**

**vij. B**

Neapoli, in Campania, sancti Cajetani Thienaei Confessoris, Clericorum Regularium Fundatoris, qui, singulari in Deum fiducia, pristinam Apostolicam vivendi formam suis colendam tradidit, et, miraculis clarus, a Clemente Papa Decimo inter Sanctos relatus est.

Aretii, in Tuscia, natalis sancti Donati, Episcopi et Martyris; qui, inter cetera virtutis opera (ut scribit beatus Gregorius Papa), calicem sanctum, a Paganis fractum, orando instauravit. Is, in persecutione Juliani Apostatae, a Quadratiano Augustali comprehensus, et, cum sacrificare idolis renuisset, gladio percussus, martyrium consummavit. Passus est etiam cum eo beatus Hilarinus Monachus; cujus memoria decimo septimo Kalendas Augusti recolitur, quo die sacrum ipsius corpus ad Ostia Tiberina translatum fuit.

Romae sanctorum Martyrum Petri et Juliani, cum aliis decem et octo.

Mediolani sancti Fausti militis, qui, sub Aurelio Commodo, post multa certamina, martyrii palmam adeptus est.

Novocomi passio sanctorum Martyrum Carpophori, Exanthi, Cassii, Severini, Secundi et Licinii; qui, in confessione Christi, capite truncati sunt.

Nisibi, in Mesopotamia, sancti Dometii, Monachi Persae, qui cum duobus discipulis, sub Juliano Apostata, lapidatus est.

Rotomagi sancti Victricii Episcopi, qui adhuc miles, sub eodem Juliano, abjiciens pro Christo cingulum, a Tribuno multis tormentis afficitur, et capitis damnatur; sed, carnifice, qui ad eum caedendum missus fuerat, caecitate percusso, ipse, vinculis solutis, liber evasit. Postea, Episcopus factus, indomitas Morinorum et Nerviorum gentes divini praedicatione verbi ad Christi fidem perduxit, et demum Confessor in pace quievit.

Catalauni, in Gallia, sancti Donatiani Episcopi.

Messanae, in Sicilia, sancti Alberti Confessoris, ex Ordine Carmelitarum, miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Augusti**

**Sexto Idus Augusti.**

**vij. C**

Sanctorum Martyrum Cyriaci Diaconi, Largi et Smaragdi, qui, cum aliis viginti Sociis, passi sunt decimo septimo Kalendas Aprilis. Eorum corpora, via Salaria a Joanne Presbytero sepulta, sanctus Marcellus Papa in praedium Lucinae, via Ostiensi, hoc die transtulit; quae postea, in Urbem delata, in Diaconia sanctae Mariae in via Lata fuerunt recondita.

Anazarbi, in Cilicia, sancti Marini senis, qui, sub Diocletiano Imperatore et Lysia Praeside, caesus flagris, in ligno suspensus ac laniatus, feris tandem objectus interiit.

Item sanctorum Martyrum Eleutherii et Leonidae, qui per ignem martyrium consummarunt.

In Perside sancti Hormisdæ Martyris, sub Sapore Rege.

Cyzici, in Hellesponto, sancti Aemiliani Episcopi, qui, pro sacrarum Imaginum cultu a Leone Imperatore multa passus, demum in exsilio vitam finivit.

In Creta sancti Myronis Episcopi, miraculis clari.

Viennæ, in Gallia, sancti Severi, Presbyteri et Confessoris; qui ex India, Evangelii prædicandi causa, laboriosam peregrinationem suscepit, et, cum ad præfatam urbem devenisset, ingentem Paganorum multitudinem verbo et miraculis ad Christi fidem convertit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Augusti**

**Quinto Idus Augusti.**

**vij. D**

Vigilia sancti Laurentii Martyris. Sancti Joannis Baptistæ-Mariæ Vianney, Presbyteri et Confessoris, caelestis omnium parochorum Patroni; cujus dies natalis pridie Nonas mensis hujus recensetur.



Romae sancti Romani, militis et Martyris; qui, confessione beati Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari, et, mox exhibitus ac fustibus caesus, ad ultimum decollatus est.

In Tuscia natalis sanctorum Martyrum Secundiani, Marcelliani et Veriani; qui, tempore Decii, a Promoto Consulari primum caesi sunt, deinde in equuleo suspensi, et abrasi unguis, atque igne lateribus apposito assati, ac tandem triumphalem martyrii palmam, capite caesi, meruerunt.

Veronae sanctorum Martyrum Firmi et Rustici, qui, tempore Maximiani Imperatoris, sub Anolino Iudice, cum sacrificare idolis renuerent et constanter in Christi fide persisterent, ambo iussi sunt, post alia superata supplicia, fustibus caedi et capite amputari.

In Africa commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, qui, in persecutione Valeriani, hortante eos ad constantiam sancto Numidico, in ignem coniecti, martyrii palmam adepti sunt. Ipse autem Numidicus, licet cum aliis in rogam injectus et lapidibus obrutus fuisset, a filia tamen, effossus et semivivus repertus, curatus est; ac postea, ob ejus virtutem, in Ecclesiae Carthaginensis Presbyterum a beato Cypriano meruit cooptari.

Constantinopoli sanctorum Martyrum Juliani, Marciani et aliorum octo; qui, ob Salvatoris imaginem, quam in porta aenea constituerant, omnes, impii Leonis Imperatoris jussu, post multa tormenta, gladio necati sunt.

Catalauni, in Gallia, sancti Domitiani, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Augusti**

**Quarto Idus Augusti.**

**vij. E**

Romae, via Tiburtina, natalis beati Laurentii Archidiaconi, qui, in persecutione Valeriani, post plurima tormenta carceris, verberum diversorum, fustium, ac plumbatarum et laminarum ardentium, ad ultimum, in craticula ferrea assatus, martyrium complevit; ejusque corpus a beato Hippolyto et Justino Presbytero sepultum fuit in coemeterio Cyriacae, in agro Verano.

In Hispania Apparitio beatæ Mariæ Virginis de Mercede nuncupatæ, quæ Ordinis redemptionis captivorum sub ejus nomine Institutrix fuit. Ipsius autem festivitas octavo Kalendas Octobris recolitur.

Romae passio sanctorum centum sexaginta quinque militum Martyrum, sub Aureliano Imperatore.

Alexandriæ commemoratio sanctorum Martyrum, qui, in persecutione Valeriani, sub Praeside Aemiliano, diversis exquisitisque tormentis diutius cruciati, vario mortis genere coronam martyrii sunt adepti.

Bergomi sanctat Asteriæ, Virginis et Martyris, in

persecutione Diocletiani et Maximiani Imperatorum.

Carthagine sanctarum Virginum et Martyrum Bassae, Paulse et Agathonicae.

Romae sancti Deusdedit Confessoris, qui quod in hebdomada manibus suis operando lucrabatur, die sabbati pauperibus erogabat.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Augusti**

**Tertio Idus Augusti.**

**xiv. F**

Romae, inter duas Lauros, natalis sancti Tiburtii Martyris, qui, sub Iudice Fabiano, in persecutione Diocletiani, cum Christum, nudis plantis super carbones arduos ingressus, majore confiteretur constantia, duci in tertium ab Urbe miliarium atque ibi-dem gladio animadverti jubetur.

Item Romae sanctae Susannae Virginis, quae, cum ex nobili prosapia esset orta et beati Caji Pontificis neptis, martyrii palmam, tempore Diocletiani, capitis obruncatione promeruit.

Assisii, in Umbria, natalis sanctae Clarae Virginis, primae plantae Pauperum Dominarum Ordinis Minorum; quam, vita et miraculis celebrem, Alexander Papa Quartus in numerum sanctarum Virginum retulit. Ipsius tamen festum sequenti die celebratur.

Comanae, in Ponto, sancti Alexandri Episcopi, cognomento Carbonarii, qui, ex philosopho disertissimo eminentem Christianae humilitatis scientiam adeptus, et a sancto Gregorio Thaumaturgo in thronum illius Ecclesiae sublimatus, non solum praedicatione, sed etiam consummato per ignem martyrio fuit illustris.

Eodem die passio sanctorum Rufini, Marsorum Episcopi, et Sociorum ejus, sub Maximino Imperatore.

Apud Ebroicenses, in Gallia, sancti Taurini Episcopi, qui, a beato Clemente Papa ordinatus illius civitatis Episcopus, Evangelii praedicatione Christianam fidem propagavit, ac, multis pro ea susceptis laboribus, miraculorum gloria conspicuus obdormivit in Domino.

Cameraci, in Gallia, sancti Gaugerici, Episcopi et Confessoris.

In provincia Valeriae sancti Equitii Abbatis, cujus sanctitas testimonio beati Gregorii Papae comprobatur.

Tuderti, in Umbria, sanctae Dignae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Augusti**

**Pridie Idus Augusti.**

**xij. G**

Sanctae Clarae Virginis, primae plantae Pauperum Dominarum Ordinis Minorum; quae ad aeternas Agni

nuptias evocata est pridie hujus diei.

Eodem die sanctorum Martyrum Porcarii, Abbatis monasterii Lirinensis, et Sociorum ejus quingentorum Monachorum; qui pro fide catholica, a barbaris caesi, martyrio coronati sunt.

Catanae, in Sicilia, natalis sancti Euplii Diaconi, sub Diocletiano et Maximiano Augustis; qui, cum diutissime pro confessione Domini tortus esset, tandem martyrii palmam, gladio caedente, percepit.

Augustae Vindelicorum sanctae Hilariae, quae, cum esset beatæ Afrae Martyris mater et ad sepulcrum illius excubaret, ibidem, pro fide Christi, a persecutoribus igni tradita est cum Digna, Euprepia et Eunomia, ancillis suis. Passi sunt etiam eodem die, in praefata urbe, Quiriacus, Largo, Crescentianus, Nimmia et Juliana, cum aliis viginti.

In Syria sanctorum Martyrum Macarii et Juliani.

Nicomediae sanctorum Martyrum Aniceti Comitis, et Photini fratris, cum aliis pluribus, sub Diocletiano Imperatore.

Faleriae, in Tuscia, passio sanctorum Graciliani, et Felicissimae Virginis, quorum pro fidei confessione ora lapidibus primo contusa sunt; dehinc ambo, gladio percussi, optatam martyrii palmam susceperunt.

Mediolani depositio sancti Eusebii, Episcopi et Confessoris.

Brixiae sancti Herculani Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Augusti**

**Idibus Augusti.**

**xij. A**

Romae beati Hippolyti Martyris, qui pro confessionis gloria, sub Valeriano Imperatore, post alia tormenta, ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, per carduetum et tribulos crudeliter tractus est, ac, toto corpore lacerato, emisit spiritum. Passi sunt etiam eodem die beata Concordia, ejus nutrix, quae ante ipsum, plumbatis caesa, migravit ad Dominum; et alii decem et novem de domo sua, qui extra portam Tiburtinam decollati sunt, et, una cum ipso, in agro Verano sepulti.

Apud Forum Syllae natalis sancti Cassiani Martyris, qui cum adorare idola noluisset, ideo, vocatis a persecutore pueris, quibus exosus docendo factus fuerat, data est eis facultas eum perimendi; quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviores martyrii poenam, dilata morte, faciebat.

Tuderti, in Umbria, sancti Cassiani, Episcopi et Martyris, sub Diocletiano Imperatore.

Burgis, in Hispania, sanctarum Centollae et Helenae Martyrum.

Constantinopoli sancti Maximi Abbatis, doctrina et catholicae veritatis zelo insignis; qui, cum adversus Monothelitas strenue decertaret, ab haeretico Imperatore Constante, praecisis manibus ac lingua, in Chersonesum relegatus est, ibique, gloria confessionis clarus, spiritum Deo reddidit. Tunc etiam duo Anastasii, qui ejus erant discipuli, aliique plures diversa tormenta et dura exsilia sunt experti.

Friteslariae, in Germania, sancti Wigberti, Presbyteri et Confessoris.

Romae natalis sancti Joannis Berchmans, scholastici e Societate Jesu et Confessoris, vitae innocentia et religiosae disciplinae custodia praeclari; cui Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus, caelitem Sanctorum honores decrevit.

Pictavis, in Gallia, sanctae Radegundis Reginae, cujus vita miraculis et virtutibus claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Augusti**

**Decimo nono Kalendas  
Septembris.**

**xj. B**

Vigilia Assumptionis beatae Mariae Virginis.

Romae natalis beati Eusebii, Presbyteri et Confessoris, qui, ab Ariano Imperatore Constantio, ob catholicae fidei defensionem, in quodam domus suae cubiculo inclusus, ibi,

cum menses septem in oratione constanter perseverasset, dormitionem accepit. Ipsius autem corpus collegerunt Gregorius et Orosius Presbyteri, et in coemeterio Callisti, via Appia, sepelierunt.

Apameae, in Syria, sancti Marcelli, Episcopi et Martyris; qui, cum Jovis delubrum diruisset, a furentibus Gentilibus occisus est.

Tuderti, in Umbria, sancti Callisti, Episcopi et Martyris.

In Illyrico sancti Ursicii Martyris, qui, sub Maximiano Imperatore et Aristide Praeside, post multa et diversa tormenta, pro Christi nomine, gladio caesus est.

In Africa sancti Demetrii Martyris.

In Aegina insula sanctae Athanasiae Viduae, monastica observantia et miraculorum dono illustris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Augusti**

Decimo octavo Kalendas  
Septembris. x. C

Assumptio sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae.

Cracoviae, in Polonia, natalis sancti Hyacinthi, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris, quem Clemens Octavus, Pontifex Maximus, in Sanctorum numerum retulit. Ipsius



autem festum sextodecimo Kalendas Septembris celebratur.

Apud Albam Regalem, in Pannonia, item natalis sancti Stephani, Regis Hungarorum et Confessoris; qui, divinis virtutibus exornatus, primus Hungaros ad Christi fidem convertit, et a Deipara Virgine, ipso die Assumptionis suae, in caelum receptus fuit. Ejus vero festivitas quarto Nonas Septembris, quo die munitissima Budae arx, sancti Regis ope, ab exercitu Christiano strenue recuperata fuit, potissimum recolitur, ex dispositione Innocentii Papae Undecimi.

Romae, via Appia, sancti Tharsicii Acolythi, quem Pagani, cum invenissent Corporis Christi Sacramenta portantem, coeperunt disquirere quid gereret. At ipse, indignum judicans porcis proderi margaritas, tamdiu ab illis mactatus est fustibus et lapidibus, donec exhalaret spiritum; et, revoluto ejus corpore, sacrilegi discussores nihil Sacramentorum Christi in occisi manibus aut in vestibus invenerunt. Christiani autem collegerunt Martyris corpus, et in coemeterio Callisti honorifice sepelierunt.

Tagaste, in Africa, sancti Alipii Episcopi, qui beati Augustini olim discipulus, postea in conversione socius, in munere pastoralis collega, et in certaminibus adversus haereticos commilito strenuus, ac demum in caelesti gloria consors fuit.

Suessione, in Galliis, sancti Arnulphi, Episcopi et Confessoris.

Romae sancti Stanislai Kostka; Poloni, novitii e Societate Jesu et Confessoris; qui, consummatus in brevi, per angelicam vitae innocentiam explevit tempora multa, et a Benedicto Decimo tertio, Pontifice Maximo, in Sanctorum album relatus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Augusti**

Decimo septimo Kalendas  
Septembris. ix. D

Sancti Joachim, patris immaculatae Virginis Genitricis Dei Mariae, Confessoris, cujus dies natalis refertur tertio decimo Kalendas Aprilis.

Romae sancti Titi Diaconi, qui, Urbe a Gothis occupata, pecunias pauperibus distribuens, a Tribuno barbaro jussus est occidi.

Nicaeae, in Bithynia, sancti Diomedis medici, qui in persecutione Diocletiani Imperatoris, pro Christi fide caesus gladio, martyrium complevit.

In Palaestina sanctorum triginta trium Martyrum.

Ferentini, in Hernicis, sancti Ambrosii Centurionis, qui, in persecutione Diocletiani, variis modis cruciatus, et novissime, cum per ignem illaesus transisset, demersus in aquam, eductus est in refrigerium.

Mediolani depositio sancti Simpliciani Episcopi, sanctorum Ambrosii et Augustini testimonio celebris.

Antisiodori sancti Eleutherii Episcopi.

Nicomediae sancti Arsacii Confessoris, qui, sub Licinio persecutore, militia relicta, solitariam vitam ducens, tantis virtutibus claruit, ut et daemones expulisse et orando interemisse ingentem draconem legatur; denique, futuram civitatis cladem praenuntians, in oratione spiritum Deo reddidit.

Apud Montem Pessulanum, in Gallia Narbonensi, depositio beati Rochi Confessoris, qui multas Italiae urbes signo Crucis a morbo epidemiae liberavit. Ipsi corpus Venetias postea translatum, et in Ecclesia, ejus nomine consecrata, honorificentissime conditum fuit.

Romae sanctae Serenae, uxoris quondam Diocletiani Augusti.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Augusti**

**Sextodecimo Kalendas  
Septembris.**

**viiij. E**

Octava sancti Laurentii Martyris.

Sancti Hyacinthi, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris,

qui decimo octavo Kalendas Septembris obdormivit in Domino.

Carthagine sanctorum Martyrum Liberati Abbatis, Bonifatii Diaconi, Servi et Rustici Subdiaconorum, Rogati et Septimi Monachorum, et Maximi pueri; qui, in persecutione Wandalica, sub Hunnerico Rege, pro confessione catholicae fidei et pro unici Baptismatis defensione, variis et inauditis suppliciis exagitati, demum super ligna, quibus concremandi erant, clavis confixi, et, cum ignis saepius accensus fuisset ac divinitus semper exstinctus, Regis jussu remorum vectibus percussi, et, comminutis cerebris, enecati, speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt.

In Achaja sancti Myronis, Presbyteri et Martyris, qui, sub Decio Imperatore et Antipatre Praeside, Cyzici, post multa tormenta, capite truncatus est.

Caesareae, in Cappadocia, natalis sancti Mamantis Martyris, qui, sanctorum Theodoti et Rufinae Martyrum filius, longum a pueritia ad senectutem usque martyrium duxit, et tandem, imperante Aureliano, sub Alexandro Praeside, illud feliciter consummavit; quem sancti Patres Basilius et Gregorius Nazianzenus summis laudibus celebrarunt.

Nicomediae sanctorum Martyrum Stratonis, Philippi et Eutychiani; qui, damnati ad bestias et nil laesi, per ignem martyrium consummarunt.

Ptolemaide, in Palaestina, passio sanctorum Martyrum

Pauli, ejusque sororis Julianae Virginis; qui ambo, sub Aureliano Imperatore, cum in Christi confessione permanerent immobiles, jussi sunt variis et dirissimis tormentis affligi ac tandem capite obtruncari.

Romae sancti Eusebii Papae.

Interamnae sancti Anastasii, Episcopi et Confessoris.

In Monte Falco, in Umbria, sanctae Clarae, Monialis ex Ordine Eremitarum sancti Augustini, Virginis; in cujus visceribus renovata Dominicae passionis mysteria fideles, maxima cum devotione, venerantur. Eam Leo Decimus tertius, Summus Pontifex, sanctarum Virginum albo adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Augusti**

Quintodecimo Kalendas  
Septembris.

vij. F

Praeneste natalis sancti Agapiti Martyris, qui cum esset annorum quindecim, et amore Christi ferveret, jussu Aureliani Imperatoris tentus, ac primo nervis crudis diutissime caesus, deinde sub Antiocho Praefecto graviora supplicia passus; exinde cum ex praecepto Imperatoris leonibus objiceretur, et minime laesus esset, gladio ministrorum coronandus percutitur.

Romae beatorum Joannis et Crispi Presbyterorum, qui in

persecutione Diocletiani multa Sanctorum corpora officiosissime sepelierunt, quorum meritis et ipsi postmodum sociati, gaudia vitae aeternae meruerunt.

Ibidem sanctorum Martyrum Hermae, Serapionis et Polyaei, qui per angusta, saxosa et aspera loca raptati, animas Deo reddiderunt.

In Illyrico sanctorum Martyrum Flori et Lauri artis lapicidinae, qui, consumptis martyrio eorum magistris Proculo et Maximo, sub Licione Praeside post multa tormenta in profundum puteum sunt demersi.

Myrae in Lycia sanctorum Martyrum Leonis et Julianae.

Metis in Gallia sancti Firmini Episcopi et Confessoris.

Romae via Lavicana sanctae Helenae matris Constantini Magni piissimi Imperatoris, qui primus Ecclesiae tuendae atque amplificandae exemplum ceteris Principibus praebuit.

In Montefalco Umbriae beatae Clarae Virginis, Monialis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, in cujus visceribus dominicae Passionis mysteria renovata, maxima cum devotione venerantur. Eam Leo Decimustertius Summus Pontifex, sanctarum Virginum albo solemni ritu adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Augusti**

Quartodecimo Kalendas  
Septembris.

vj. G

Cadomi, in Gallia, sancti Joannis Eudes Confessoris, Missionarii Apostolici, Fundatoris Congregationis Presbyterorum Jesu et Mariae necnon Ordinis Monialium Dominae Nostrae a Caritate, et promotoris liturgici cultus erga Sacratissima Christi ejusque Genitricis Corda; quem Pius Papa Undecimus fastis Sanctorum adscripsit.

Romae Sancti Julii Senatoris et Martyris, qui Vitellio Judici traditus et ab eo in carcerem trusus, jubente Commodo Imperatore, tamdiu fustibus caesus est, donec emitteret spiritum: cujus corpus in coemeterio Calepodii via Aurelia sepultum est.

In Cilicia natalis sancti Andreae Tribuni et Sociorum militum, qui, victoria de Persis divinitus adepta, ad fidem Christi conversi, et hoc nomine accusati, sub Maximiano Imperatore in angustiis Tauri montis ab exercitu Seleuci Praesidis trucidati sunt.

In Palaestina sancti Timothei Martyris, qui in persecutione Diocletiani sub Urbano Praeside, post multa superata supplicia, lento igne combustus est. Passi sunt etiam ibidem Thecla et Agapius: illa feris exposta, earum dentibus laniata transivit ad Sponsum: Agapius vero plurima tormenta perpressus, ad majora certamina fuit dilatus.

Anagniae sancti Magni Episcopi et Martyris, qui in

persecutione Decii necatus est.

In Provincia apud castrum Brincolam depositio sancti Ludovici Episcopi Tolosani, Ordinis Minorum, vitae sanctitate et miraculis clari: cujus corpus inde Massiliam translatum, in Ecclesia Fratrum Minorum honorifice conditum est.

In Gallis in pago Sigisterico beati Donati Presbyteri et Confessoris, qui ab ipsis infantiae rudimentis mira Dei gratia praeditus, anachoreticam vitam multis annis exegit et miraculorum gloria clarus migravit ad Christum.

In territorio Bituricensi sancti Mariani Confessoris.

Romae, beati Urbani Papae II, qui sancti Gregorii Septimi vestigia sequutus, doctrinae et religionis studio enituit; et fideles cruce signatos ad sacra Palaestinae loca ab infidelium potestate redimenda excitavit. Cultum ab immemorabili tempore eidem exhibitum Leo Decimustertius Pontifex Maximus ratum habuit et confirmavit.

Mantuae sancti Rufini Confessoris.

Norimbergae sancti Sebaldi Eremitae, virtutibus et miraculis praeclari, qui Sanctorum catalogo a Martino Papa Quinto adjectus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.



---

**20 Augusti**

**Tertiodecimo Kalendas  
Septembris.**

v. A

In territorio Lingoniensi deposito sancti Bernardi primi Claraevallensis Abbatis, vita, doctrina et miraculis gloriosi, quem Pius Octavus Pontifex Maximus universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit.

In Judaea sancti Samuelis Prophetae, cujus sancta ossa (ut beatus Hieronymus scribit) Arcadius Augustus Constantinopolim transtulit, et prope Septimum collocavit.

Eodem die sancti Lucii Senatoris, qui perspecta constantia Theodori, Cyrenensis Episcopi in martyrio positi, ad fidem Christi conversus, ad eam etiam Dignianum Praesidem pertraxit; cum quo Cyprum profectus, cum ibi alios Christianos pro confessione Domini coronari videret, ultro se ipsum obtulit, et eandem martyrii coronam, capitis obruncatione, promeruit.

In Thracia sanctorum triginta septem Martyrum, qui sub Praeside Apeliano pro Christi fide, manibus pedibusque praecisis, in caminum ardentem injecti sunt.

Item sanctorum Martyrum Severi et Memnonis Centurionis, qui eodem mortis genere consummati, victores abierunt in coelum.

Cordubae sanctorum Martyrum Leovigildi et Christophori Monachorum, qui in Arabum persecutione pro christianae fidei defensione in carcerem coniecti, ac mox, cervicibus

abscissis, igni traditi, martyrii palmam adepti sunt.

Romae beati Porphyrii hominis Dei, qui sanctum Martyrem Agapitum erudivit in fide et doctrina Christi.

In Herio insula sancti Philiberti Abbatis.

In castro Cainone sancti Maximi Confessoris, discipuli beati Martini Episcopi.

In Monte Senario Florentinae dioecesis beati Manetii Confessoris ex Septem Fundatoribus Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, qui eidem hymnos dicens expiravit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Augusti**    **Duodecimo Kalendas Septembris. iv. B**

Sanctae Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, Ordinis Sanctimonialium Visitationis sanctae Mariae Institutricis, cujus natalis dies Idibus Decembris memoratur.

Romae in agro Verano sanctae Cyriacae Viduae et Martyris, quae in persecutione Valeriani cum se suaque omnia in Sanctorum ministerio impendisset, demum pro Christo martyrium subiens, vitam quoque ipsam libenter impendit.

Salone sancti Anastasii cornicularii, qui cum videret beatum Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem, et pro confessione nominis Christi, jubente

Aureliano Imperatore, interemptus Martyr migravit ad Dominum.

In Sardinia natalis sanctorum Martyrum Luxorii, Ciselli et Camerini, qui in persecutione Diocletiani sub Delphio Praeside gladio caesi sunt.

In territorio Gavalitano sancti Privati Episcopi et Martyris, qui ab Alexandria Romam veniens ad Apostolorum memorias, et inde in agrum Fundanum secedens cum Martyrum corpora sepeliret, a Tribuno comprehensus in vinculis expiravit.

Edessa in Syria sanctorum Martyrum Basae et filiorum ejus Theogonii, Agapii et Fidelis, quos in persecutione Maximiani pia mater exhortans, martyrio coronatus praemisit ad palmam, et truncato capite gaudens secuta est cum victoria.

Veronae sancti Eupreprii Episcopi et Confessoris.

Item sancti Quadrati Episcopi.

Senis in Tuscia beati Bernardi Ptolomaei Abbatis, Congregationis Olivetanae Fundatoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Augusti**    **Undecimo Kalendas Septembris.**    **iiij. C**

Octava Assumptionis beatae Mariae Virginis. Festum Immaculati Cordis ejusdem beatae Virginis Mariae.

Romae, via Ostiensi, natalis sancti Timothei Martyris, qui, a Praefecto Urbis Tarquinio tentus, et longa carceris custodia maceratus, et, cum sacrificare idolis nolisset, tertio caesus et gravissimis suppliciis atrectatus, ad ultimum decollatus est.

In Portu Romano sancti Hippolyti Episcopi, eruditione clarissimi, qui, sub Alexandro Imperatore, ob praeclaram fidei confessionem, manibus pedibusque ligatis in altam foveam, aquis plenam, praecipitatus, martyrii palmam accepit; cujus corpus apud eundem locum a Christianis sepultum fuit.

Augustoduni sancti Symphoriani Martyris, qui, tempore Aureliani Imperatoris, cum sacrificare nollet idolis, primo verberibus afflictus est, deinde carceri mancipatus; atque ad ultimum, caeso capite, martyrium consummavit.

Tuderti, in Umbria, natalis sancti Philippi Benitii, Confessoris, Florentini, qui Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis exstitit propagator et eximiae humilitatis vir; atque a Clemente Decimo, Pontifice Maximo, Sanctorum numero adscriptus est. Ipsius autem festivitas sequenti die celebratur.

Romae sancti Antonini Martyris, qui, cum se Christianum libera voce fateretur, sententia capitali a Judice Vitellio damnatus est, et a Rufino Presbytero via Aurelia sepultus.

Tarsi, in Cilicia, commemoratio sanctorum Athanasii, Episcopi et Martyris, Anthusae, nobilis feminae, quam ipse baptizaverat, ac simul Charisii et Neophyti Martyrum, ejusdem Anthusae servorum, qui sub Valeriano Imperatore passi sunt.

In Portu Romano sanctorum Martyrum Martialis, Saturnini, Epicteti, Maprilis et Felicis, cum Sociis eorum.

Nicomediae passio sanctorum Agathonici, Zotici et Sociorum Martyrum, sub Maximiano Imperatore et Eutolmio Praeside.

Rhemis, in Gallia, sanctorum Martyrum Mauri et Sociorum.

In Hispania sanctorum Martyrum Fabriciani et Philiberti.

Papiae sancti Guniforti Martyris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Augusti**      **Decimo Kalendas Septembris.**      **ij. D**

Vigilia sancti Bartholomsei Apostoli.

Sancti Philippi Benitii Confessoris, qui Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis exstitit propagator, ac pridie hujus diei migravit ad Dominum.

Apud Ostia Tiberina sanctorum Martyrum Quiriaci Episcopi, Maximi Presbyteri, Archelai Diaconi, et Sociorum, qui sub Ulpiano Praefecto, tempore Alexandri, passi sunt.

Antiochiae natalis sanctorum Martyrum Restituti, Donati, Valeriani et Fructuosae, cum aliis duodecim; qui praeclarissimo confessionis honore coronati sunt.

Aegaeae, in Cilicia, sanctorum Martyrum fratrum Claudii, Asterii et Neonis, qui, Christianae religionis a noverca accusati, sub Diocletiano Imperatore et Lysia Praeside, post acerba tormenta cruci sunt affixi, in qua victores cum Christo triumpharunt. Passae sunt post eos Donvina et Theonilla.

Rhemis, in Gallia, natalis sanctorum Timothei et Apollinaris, qui, ibidem consummato martyrio, caelestia regna meruerunt.

Lugduni, in Gallia, sanctorum Martyrum Minervi, et Eleazari cum filiis octo.

Item sancti Luppi Martyris, qui, ex servili conditione, Christi libertate donatus, martyrii quoque corona dignatus est.

Hierosolymis sancti Zachaei Episcopi, qui, quartus a beato Jacobo Apostolo, Hierosolymitanam Ecclesiam rexit.

Alexandriae sancti Theonae, Episcopi et Confessoris.

Uticae, in Africa, beati Victoris Episcopi.

Augustoduni sancti Flaviani Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Augusti**                      **Nono Kalendas Septembris. j. E**

Sancti Bartholomaei Apostoli, qui Christi Evangelium in India praedicavit; inde in majorem Armeniam profectus, ibi, cum plurimos ad fidem convertisset, vivus a barbaris decoriatus est, atque, Astyagis Regis jussu, capitis decollatione martyrium complevit. Ipsius sacrum corpus, primo ad Liparam insulam, deinde Beneventum, postremo Romam ad Tiberinam translatum insulam, ibi pia fidelium veneratione honoratur.

Lima, in Peruvia, natalis sanctae Rosae a sancta Maria, Virginis, e tertio Ordine sancti Dominici. Ejus vero festivitas tertio Kalendas Septembris celebratur.

Nepete sancti Ptolomaei Episcopi, qui fuit discipulus beati Petri Apostoli; atque, ab eo missus in Tusciam ad praedicandum Evangelium, in eadem civitate gloriosus Christi Martyr occubuit.

Eodem die sancti Eutychie, qui fuit discipulus beati Joannis Evangelistae; atque, ob Evangelii praedicationem in multis regionibus carceres, verbera et ignes perpressus, in pace tandem quievit.

Nepete sancti Romani, ejusdem civitatis Episcopi, qui, cum esset sancti Ptolomaei discipulus, fuit etiam in passione socius.

Carthagine sanctorum trecentorum Martyrum, tempore Valeriani et Gallieni. Hi Martyres magnanimi, inter alia supplicia, cum Praeses fornacem calcariam accendi jussisset, et, in praesentia ejus, prunas cum thure exhiberi, atque illis dixisset: « Eligite e duobus unum, aut thura super his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini », fide armati, Christum Dei Filium confitentes, ictu rapidissimo se iniecerunt in ignem, et inter calcis vapores in pulverem sunt redacti; ex quo candidatus ille beatorum exercitus appellari Massa candida meruit.

In Isauria sancti Tationis Martyris, qui in persecutione Diocletiani, sub Urbano Praeside, gladio caesus, martyrii coronam accepit.

Item sancti Georgii Limniotae Monachi, qui, cum impium Leonem Imperatorem, quod sacras Itnagines frangeret Sanctorumque reliquias combureret, reprehendisset, hanc ob causam, ejus jussu manibus abscissis et capite incenso, Martyr migravit ad Dominum.

Apud Ostia Tiberina sanctae Aureae, Virginis et Martyris; quae, saxo ad collum ligato, in mare demersa est. Ipsi autem corpus, ejectum ad littus, beatus Nonnus sepelivit.

Rotomagi sancti Audoeni, Episcopi et Confessoris.  
Nivernis, in Gallia, sancti Patricii Abbatis.



Neapoli, in Campania, sancta; Joannae Antidae Thouret, Virginis, Instituti Sororum a Caritate Fundatricis, quam Pius Papa Undecimus in album sanctarum Virginum retulit.

Massiliae, in Gallia, sanctae Aemiliae de Vialar, Virginis, Fundatricis Instituti Sororum a sancto Joseph ab Apparitione, fortitudine, patientia et caritate insignis, quam Pius Duodecimus, Pontifex Maximus, in Sanctarum numerum retulit.

Valentiae, in Hispania, natalis sanctae Marfae Michaelae, Virginis, Fundatricis Congregationis Ancillarum a Sanctissimo Sacramento et Caritatis, patiendi studio ac desiderio animas Deo lucrandi inflammatae, quam Pius Papa Undecimus sanctis Virginibus accensuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Augusti**      **Octavo Kalendas Septembris.**      \*. F

Apud Carthaginem sancti Ludovici Noni, Regis Francorum et Confessoris, vitae sanctitate ac miraculorum gloria praeclari, cujus ossa postmodum Lutetiam Parisiorum sunt relata.

Romae natalis sancti Josephi Calasactii, Presbyteri et Confessoris, vitae innocentia et miraculis illustris; qui, ad erudiendam pietate ac litteris juventutem, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit. Eum Pius Duodecimus, Pontifex

Maximus, omnium Scholarum popularium christianarum ubique existentium caelestem apud Deum Patronum constituit. Ipsius tamen festivas sexto Kalendas Septembris recolitur.

Item Romae sanctorum Martyrum Eusebii, Pontiani, Vincentii et Peregrini; qui, sub Commodo Imperatore, primum in equuleo levati, nervis quoque distenti, ac deinde fustibus caesi sunt, flammis circa eorum latera appositis; et, cum in laude Christi fidelissime permanerent, plumbatis usque ad emissionem spiritus sunt mactati.

Romae praeterea natalis beati Nemesii Diaconi, et filiae Lucillae Virginis; qui, cum de fide Christi flecti nequaquam possent, decollati sunt, jubente Valeriano Imperatore. Ipsorum corpora, a beato Stephano Papa sepulta, deinde a beato Xysto Secundo via Appia, pridie Kalendas Novembris, honestius tumulata, Gregorius Quintus in Diaconiam sanctae Mariae Novae transtulit, una cum sanctis Symphronio, Olympio Tribuno, hujusque uxore Exsuperia et Theodulo filio; qui omnes, Symphronii opera conversi et ab eodem sancto Stephano baptizati, martyrio coronati fuerant. Eadem Sanctorum corpora, Gregorio Decimo tertio Summo Pontifice, ibidem inventa, sub altari ejusdem Ecclesiae honorificentius collocata sunt sexto Idus Decembris.

Item Romae sancti Genesii Martyris, qui, primum sub Gentilitate mimus, cum in theatro, spectante Diocletiano Imperatore, Mysteriis Christianorum illuderet, repente, inspiratus a Deo, conversus est ad fidem et baptizatus. Mox, Imperatoris jussu, fustibus crudelissime caesus, deinde suspensus in equuleo, et unguarum diutissima laceratione

vexatus, lampadibus etiam adustus est; ac tandem, cum in fide Christi persisteret, dicens: « Non est Rex praeter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis », martyrii palmam obruncatione capitis promeruit.

Arelate, in Gallia, beati item Genesii, qui, cum impia edicta, quibus Christiani puniri jubebantur, exceptoris officio fungens, nollet excipere, et, projectis in publicum tabulis, se Christianum esse testaretur, comprehensus et decollatus est, atque ita martyrii gloriam, proprio cruore baptizatus, accepit.

In Syria sancti Juliani Martyris.

Tarracone, in Hispania, sancti Magini Martyris.

Italicae, in Hispania, sancti Geruntii Episcopi, qui, Apostolorum tempore, Evangelium in ea provincia praedicavit, et, post multos labores, in carcere quievit.

Constantinopoli sancti Mennae Episcopi.

Trajecti sancti Gregorii Episcopi.

Apud Montem Faliscum, in Etruria, sancti Thomae Confessoris, qui Herfordiensis Ecclesiae, in Anglia, Episcopus exstitit.

Neapoli, in Campania, sanctae Patriciae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Augusti**      **Septimo Kalendas Septembris.**      **xxix.** G

Sancti Zephyrini, Papae et Martyris, cujus dies natalis tertiodecimo Kalendas Januarii recensetur.

Cardonae, in Hispania, transitus sancti Raymundi Nonnati, Cardinalis et Confessoris, ex Ordine beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, vitae sanctitate et miraculis clari. Ipsius tamen festum recolitur pridie Kalendas Septembris.

Romae sanctorum Martyrum Irenaei et Abundii, qui, in persecutione Valeriani, eo quod corpus beatae Concordiae, in cloacam projectum, levaverant, in eadem cloacam demersi fuerunt; quorum corpora, a Justino Presbytero inde extracta, in crypta, juxta beatum Laurentium, sepulta sunt.

Apud Albintimelium, Liguria civitatem, sancti Secundi Martyris, viri spectabilis et Ducis ex legione Thebaeorum.

Bergomi sancti Alexandri Martyris, qui, et ipse unus ex eadem legione, cum nomen Domini Jesu Christi constantissime fateretur, capitis abscissione martyrium complevit.

Apud Marsos sanctorum Simplicii, et ejus filiorum Constantii et Victoriani, qui, sub Antonino Imperatore, varie primum excruciiati, tum demum, securis ictu percussi,

martyrii coronam adepti sunt.

Nicomediae passio sancti Hadriani, e Probo Caesare progeniti, qui, Licinio persecutionem in Christianos commotam exprobrans, ab eodem jussus est occidi. Ipsius corpus Domitius, Byzantii Episcopus, ejus patruus, in ipsius civitatis suburbio cui nomen Argyropolis, sepelivit.

In Hispania sancti Victoris Martyris, qui pro Christi fide, a Mauris occisus, martyrii corona donatus est.

Capuae sancti Rufini, Episcopi et Confessoris.

Pistorii, in Tuscia, sancti Felicis, Presbyteri et Confessoris.

Podii, in dioecesi Pictaviensi, sanctae Joannae Elisabeth Bichier des Ages, Virginis, Congregationis Filiarum a Cruce una cum sancto Andrea Huberto Fournet Fundatricis, iugi mortificatione et vitae innocentia clarae, quam Pius Papa Duodecimus sanctarum Virginum fastis accensuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Augusti**                      **Sexto Kalendas Septembris. xxviiij. A**

Sancti Josephi Calasanctii, Presbyteri et Confessoris, qui Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum exstitit Fundator, atque octavo Kalendas Septembris obdormivit in Domino.

Potentiae, in Lucania, passio sanctorum Arontii, Honorati, Fortunati et Sabiniani; qui, sanctorum Bonifatii et Theclae filii, a Valeriano Iudice, sub Maximiano Imperatore, jussi sunt capitalem subire sententiam. Eorum tamen ac reliquorum ex duodecim fratribus festum Kalendis Septembris celebratur.

Bergomi sancti Narni, qui, a beato Barnaba baptizatus, primus ab ipso ejusdem civitatis Episcopus ordinatus est.

Capuae natalis sancti Rufi, Episcopi et Martyris; qui, cum esset patriciae dignitatis, a beato Apollinare, sancti Petri discipulo, cum universa familia baptizatus est.

Ibidem sanctorum Martyrum Rufi et Carpophori, qui sub Diocletiano et Maximiano passi sunt.

Tomis, in Ponto, sanctorum Martyrum Marcellini Tribuni, et uxoris Manneae, ac filiorum Joannis, Serapionis et Petri.

Apud Leontinos, in Sicilia, sanctae Euthaliae Virginis, quae, cum esset Christiana, ad caelestem Sponsum, a fratre suo Sermiliano caesa gladio, migravit.

Eodem die passio sanctae Anthusae junioris, quae ob Christi fidem, in puteum mersa, martyrium sumpsit.

Arelate, in Gallia, sancti Caesarii Episcopi, mirae sanctitatis et pietatis viri.

Augustoduni sancti Syagrii, Episcopi et Confessoris.

Papiae sancti Joannis Episcopi.

Ilerdae, in Hispania Tarraconensi, sancti Licerii Episcopi.

In Thebaide sancti Poemenis Anachoretæ.

Apud Septempedanos, in Piceno, sanctæ Margaritæ Viduæ.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Augusti**

**Quinto Kalendas Septembris. xxvij. B**

Hippone Regio, in Africa, natalis sancti Augustini Episcopi, Confessoris et Ecclesie Doctoris eximii, qui, beati Ambrosii Episcopi opera ad catholicam fidem conversus et baptizatus, eam adversus Manichæos aliosque hæreticos acerrimus propugnator defendit, multisque aliis pro Ecclesia Dei perfunctus laboribus, ad præmia migravit in caelum. Ejus reliquiae, primo de sua civitate propter barbaros in Sardiniam advectæ, et postea a Rege Longobardorum Luitprando Papiam translatae, ibi honorifice conditæ sunt.

Romæ item natalis sancti Hermetis, viri illustris, qui (ut in Actis beati Alexandri Papæ legitur), prius carcerali custodiæ mancipatus, deinde, cum aliis plurimis, gladio caedente, martyrium complevit, sub Aureliano Iudice.

Venusiæ, in Apulia, passio sanctorum Septimini, Januarii et Felicis, qui, sanctorum Bonifatii et Theclæ filii, a

Valeriano Iudice, sub Maximiano Imperatore, jussi sunt decollari. Ipsorum tamen ac reliquorum ex duodecim fratribus festivitas agitur Kalendis Septembris.

Brivate, apud Arvernos, item passio sancti Juliani Martyris, qui, cum esset beati Ferreoli Tribuni comes et in habitu militari occulte Christo serviret, in persecutione Diocletiani, a militibus tentus est, et, desecto gutture, morte horribili necatus.

Constantiae, in Germania, sancti Pelagii Martyris, qui sub Numeriano Imperatore et Evilasio Iudice, capite amputatus, martyrii coronam accepit.

Salerni sanctorum Martyrum Fortunati, Caji et Anthisi; qui, sub Diocletiano Imperatore et Leontio Proconsule, decollati sunt.

Constantinopoli sancti Alexandri Episcopi, gloriosi senis; ob cujus orationem Arius, divino iudicio damnatus, crepuit medius, et effusa sunt viscera ejus.

Apud Santonas, in Gallia, sancti Viviani, Episcopi et Confessoris.

Item sancti Moysis Aethiopsis, qui, ex insigni latrone insignis Anachoreta, multos latrones convertit et secum duxit ad monasterium.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et



Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Augusti**

**Quarto Kalendas Septembris. xxvj. C**

Decollatio sancti Joannis Baptistae, quem Herodes circa festum Paschae decollari praecepit. Ipsi tamen memoria solemniter hac die colitur, qua venerandum ejus caput secundo inventum fuit; quod, postea Romam translatum, in Ecclesia sancti Silvestri, ad Campum Martium, summa populi devotione asservatur.

Romae, in monte Aventino, natalis sanctae Sabinae Martyris, quae sub Hadriano Imperatore, gladio percussa, martyrii palmam adeptam est.

Veliniani, in confinibus Apuliae, passio sanctorum Vitalis, Satoris et Repositi; qui, sanctorum Bonifatii et Theclae filii, a Valeriano Judice, sub Maximiano Imperatore, capitalem sententiam pertulerunt. Eorum tamen ac ceterorum ex duodecim fratribus memoria Kalendis Septembris recolitur.

Romae sanctae Candidae, Virginis et Martyris; cujus corpus beatus Paschalis Primus Papa in Ecclesiam sanctae Praxedis transtulit.

Constantinopoli sanctorum Martyrum Hypatii, Asiani Episcopi, et Andreae Presbyteri; qui ambo, ob cultum sanctarum Imaginum, sub Leone Isaurico, barba pice illita atque incensa, et cute capitis extracta, jugulati sunt.

Antiochiae natalis sanctorum Martyrum Nicaeae et Pauli.

Metis, in Gallia, sancti Adelphi, Episcopi et Confessoris.

Lutetiae Parisiorum depositio sancti Mederici Presbyteri.

Perusiae sancti Euthymii Romani, qui, cum uxore et Crescentio filio persecutionem Diocletiani fugiens, ad eam urbem secessit, et ibi postmodum quievit in Domino.

In Anglia sancti Sebbi Regis.

Apud Sirmium natalis sanctae Basillae Virginis.

In pago Tricassino sanctae Sabinae Virginis, virtutibus et miraculis gloriosae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Augusti**

**Tertio Kalendas Septembris. xxv. D**

Sanctae Rosae a sancta Maria, e tertio Ordine sancti Dominici, Virginis; cujus dies natalis nono Kalendas Septembris recensetur.

Romae, via Ostiensi, passio beati Felicis Presbyteri, sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus. Hic, post equulei vexationem, data sententia, cum duceretur ad decollandum, obuius ei fuit quidam Christianus, qui, dum se Christianum esse sponte profiteretur, mox cum eodem pariter decollatus est; cujus nomen ignorantes, Christiani Adauctum eum

appellaverunt, eo quod sancto Felici auctus sit ad coronam.

Item Romae sanctae Gaudentiae, Virginis et Martyris, cum aliis tribus.

Coloniae Suffetulanae, in Africa, beatorum sexaginta Martyrum, qui furore Gentilium caesi sunt.

Bononiae sancti Bononii Abbatis.

Romae sancti Pammachii Presbyteri, qui fuit doctrina et sanctitate conspicuus.

Adrumeti, in Africa, sanctorum Bonifatii et Theclae, qui beatorum duodecim filiorum Martyrum parentes fuerunt.

Thessalonicae sancti Fantini Confessoris, qui, multa a Saracenis perpressus, atque e monasterio, in quo abstinentia vixerat admirabili, expulsus, demum, cum plurimos ad viam salutis perduxisset, in senectute bona quievit.

In territorio Meldensi sancti Fiacrii Confessoris.

Trebis, in Latio, sancti Petri Confessoris, qui, multis clarus virtutibus et miraculis, ibidem migravit ad Dominum, et honorifice colitur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**31 Augusti**

**Pridie Kalendas Septembris. xxiv. E**

Sancti Raymundi Nonnati, ex Ordine beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, Cardinalis et Confessoris; cujus dies natalis septimo Kalendas Septembris recolitur.

Apud montem Senarium, in Etruria, natalis sancti Bonajunctæ Confessoris, e septem Fundatoribus Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis; qui, de Passione Dominica ad fratres verba faciens, in manus Domini tradidit spiritum. Ipsius autem ac Sociorum festum pridie Idus Februarii celebratur.

Treviris item natalis sancti Paulini Episcopi, qui, tempore Arianae infestationis, ab Ariano Imperatore Constantio ob catholicam fidem relegatus exsilio, et extra Christianum nomen usque ad mortem mutando exsilia fatigatus, tandem, apud Phrygiam defunctus, beatæ passionis coronam percepit a Domino.

Transaquis, ad lacum Fucinum, in Marsis, natalis quoque sanctorum Martyrum Caesidii Presbyteri, et Sociorum; qui martyrio coronati sunt in persecutione Maximini.

Item sanctorum Martyrum Robustiani et Marci.

Caesarae, in Cappadocia, sanctorum Theodoti, Rufinae et Ammiae; quorum duo primi parentes fuerunt sancti Mamantis Martyris, quem Rufina in carcere peperit, et Ammia educavit.

Antisiodori sancti Optati, Episcopi et Confessoris.

In Anglia sancti Aidani, Episcopi Lindisfarnensis; cujus animam, cum sanctus Cuthbertus, cujus memoria tertio decimo Kalendas Aprilis colitur, tunc ovium pastor, in caelum ferri vidisset, relictis ovibus, factus est Monachus.

Apud Nuscum sancti Amati Episcopi.

Athenis sancti Aristidis, fide et sapientia clarissimi, qui Hadriano Principi egregium de religione Christiana volumen obtulit, nostri dogmatis continens rationem; et quod Christus Jesus solus esset Deus, praesente ipso Imperatore, luculentissime peroravit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Septembris

**1 Septembris**      **Kalendis Septembris.**      **xxij. A**

In provincia Narbonensi sancti Atgidii, Abbatis et Confessoris, cujus nomine est appellatum oppidum, quod postea crevit in loco, ubi ipse monasterium erexerat et mortalis vitae cursum absolverat.

Sentiani, in finibus Apuliae, passio sanctorum Donati et alterius Felicis; qui, sanctorum Bonifatii et Theclae filii, a Valeriano Judice, sub Maximiano Imperatore, jussi sunt, post varia tormenta, capite praecidi hodierna die, in qua et festivitas aliorum ex duodecim fratribus, quorum natalis respectivis diebus agitur, instituta est celebrari. Ipsorum vero duodecim fratrum corpora Beneventum postea translata sunt, ibique honorifice asservata.

In Palaestina sanctorum Josue et Gedeonis.

Hierosolymis beatae Annae Prophetissae, cujus sanctitatem sermo Evangelicus prodit.

Capuae, via Aquaria, sancti Prisci Martyris, qui fuit unus de antiquis Christi discipulis.

Tuderti, in Umbria, sancti Terentiani, Episcopi et Martyris; qui, sub Hadriano Imperatore, Laetiani Proconsulis jussu,

equuleo et scorpionibus cruciatus est, ac demum, abscissa lingua, capitis damnatus martyrium complevit.

Heracleae, in Thracia, sancti Ammonis Diaconi, et sanctarum quadraginta Virginum, quas ille erudivit in fide, et, sub Licinio tyranno, ad martyrii gloriam secum perduxit.

In Hispania sanctorum Martyrum Vincentii et Laeti.

Populonii, in Tuscia, sancti Reguli Martyris, qui ex Africa illuc venit, ibique, sub Totila, martyrium consummavit.

Capuae sancti Prisci Episcopi, qui unus fuit ex illis Sacerdotibus, qui, in persecutione Wandalorum, ob fidem catholicam varie afflicti et vetustae navi impositi, ex Africa ad Campaniae littora pervenerunt, et Christianam religionem, in iis locis dispersi diversisque Ecclesiis praefecti, mirifice propagarunt. Ipsius autem fuerunt socii Castrensis, cujus dies natalis tertio Idus Februarii recolitur, Tammarus, Rosius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Augvistus, Elpidius, Canion et Vindonius.

Apud Senonas beati Lupi, Episcopi et Confessoris; de quo refertur quod quadam die, praesente Clero, dum sacris altaribus adstaret, lapsa est caelitus gemma in ejus calicem sanctum.

Rhemis, in Gallia, sancti Xysti, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus.

Apud Cenomanos, in Gallia, sancti Victorii Episcopi.

Apud Aquinum sancti Constantii Episcopi, prophetiae dono

multisque virtutibus clari.

Ad Aquas Duras, in Constantiensi Germaniae territorio, sanctae Verenae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Septembris**      **Quarto Nonas Septembris.**      **xxj. B**

Sancti Stephani, Regis Hungarorum et Confessoris; qui decimo octavo Kalendas Septembris obdormivit in Domino.

Romae sanctae Maximae Martyris, quae, simul cum sancto Ansano Christum confessa, in persecutione Diocletiani, dum fustibus caeditur, reddidit spiritum.

Pamiae, in Gallia, sancti Antonini Martyris, cujus reliquiae apud Ecclesiam Palentinam, in Hispania, magna veneratione asservantur.

Item sanctorum Martyrum Diomedis, Juliani, Philippi, Eutychiani, Hesychii, Leonidae, Philadelphi, Menalippi et Pantagapae; quorum alii igne, alii aqua, ense alii et cruce martyrium compleverunt.

Nicomediae sanctorum Martyrum Zenonis, atque Concordii et Theodori, filiorum ejus.

Lugduni, in Gallia, sancti Elpidii, Episcopi et Confessoris.



In Piceno item sancti Elpidii Abbatis, cujus nomine oppidum est appellatum, quod ejus sacrum corpus se possidere congauDET.

In monte Soracte sancti Nonnosi Abbatis, qui ingentis molis saxum oratione sua transtulit, aliisque miraculis coruscavit.

Eodem die Commemoratio sanctorum Martyrum germanorum Evodii, Hermogenis et Callistae; de quibus, in Syracusana Siciliae urbe martyrium passis, agitur etiam septimo Kalendas Maji.

Lugduni, in Gallia, Translatio sanctorum Justi, Episcopi et Confessoris, ac Viatoris, qui ejus fuerat minister; quorum natalis dies respective pridie Idus Octobris et duodecimo Kalendas Novembris recensetur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Septembris**      **Tertio Nonas Septembris.**      vij. E

Sancti Pii Papae Decimi, cujus natalis dies tertiodecimo Kalendas Septembris recensetur.

Corinthe natalis sanctae Phoebes, cujus meminit beatus Apostolus Paulus ad Romanos scribens.

Capuae sanctorum Martyrum Aristsei Episcopi, et Antonini pueri.

Eodem die natalis sanctorum Martyrum Aigulphi, Abbatis Lirinensis, et Sociorum ipsius Monachorum, qui, linguis praecisis oculisque effosis, gladio obruncati sunt.

Item sanctorum Martyrum Zenonis et Charitonis; quorum alter in lebetem liquati plumbi coniectus est, alter in ignis fornacem immissus.

Cordubae, in Hispania, sancti Sandali Martyris.

Aquilejae sanctarum Virginum et Martyrum, Euphemiae, Dorotheae, Theclae et Erasmae, quae, sub Nerone Imperatore et Sebasto Praeside, post multa supplicia, gladio caesae sunt, et a sancto Hermagora sepultae.

Nicomediae passio sanctae Basilissae, Virginis et Martyris; quae, annos novem nata, cum in persecutione Diocletiani Imperatoris, sub Alexandro Praeside, verbera, ignes ac bestias divina virtute superasset, ipsum Praesidem ad Christi fidem convertit, ac tandem extra urbem in oratione spiritum Deo reddidit.

Tulli, in Gallia, sancti Mansueti, Episcopi et Confessoris.

Mediolani depositio sancti Auxani Episcopi.

Eodem die sancti Simeonis Stylitae junioris.

Romae Translatio sanctae Serapiae, Virginis et Martyris; quae passa est quarto Kalendas Augusti.

Item Romae Ordinatio incomparabilis viri sancti Gregorii

Magni in Summum Pontificem; qui, onus illud subire coactus, e sublimiori throno clarioribus sanctitatis radiis in Orbe refulsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Septembris**      **Pridie Nonas Septembris.**      **vij. F**

In monte Nebo, terrae Moab, sancti Moysis, legislatoris et Prophetae.

Neapoli, in Campania, natalis sanctae Candidae, quae sancto Petro Apostolo, ad eam urbem venienti, prima occurrit, atque, ab eo baptizata, postea sancto fine quievit.

Treviris sancti Marcelli, Episcopi et Martyris.

Ancyrae, in Galatia, natalis sanctorum trium puerorum Martyrum, id est Rufini, Silvani et Vitalici.

Eodem die sanctorum Martyrum Magni, Casti et Maximi.

Cabillone, in Galliis, sancti Marcelli Martyris, qui, sub Antonino Imperatore, cum a Praeside Prisco ad profanum convivium fuisset invitatus, et, hujusmodi epulas execrans, omnes qui aderant, cur idolis deservirent, libera increpatione corripere, ab eodem Praeside, inaudito crudelitatis genere, cingulo tenus defossus est in terra; sicque, cum in Dei laudibus triduo perseverasset, incontaminatum spiritum reddidit.

Eodem die sanctorum Thamelis, antea idolorum sacerdotis, et Sociorum Martyrum, sub Hadriano Imperatore.

Item sanctorum Martyrum Theodori, Oceani, Ammiani et Juliani; qui sub Maximiano Imperatore, dissectis pedibus in ignem coniecti, martyrium consummarunt.

Romae sancti Bonifatii Primi, Papae et Confessoris.

Arimini sancti Marini Diaconi.

Panormi natalis sanctae Rosaliae, Virginis Panormitanae, ex regio Caroli Magni sanguine ortae; quae, pro Christi amore, paternum principatum aulamque profugit, et, in montibus ac speluncis solitaria, caelestem vitam duxit.

Viterbii Translatio beatae Rosae Virginis, ex tertio Ordine sancti Francisci, tempore Alexandri Papae Quarti.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Septembris**

**Nonis Septembris.**

**vij. G**

Sancti Laurentii Justiniani, primi Patriarchae Venetiarum et Confessoris, qui pontificalem Cathedram hac die invitatus ascendit, et sexto Idus Januarii obdormivit in Domino.

Romae, in suburbano, beati Victorini, Episcopi et Martyris; qui, sanctitate et miraculis clarus, sacerdotium Amiterninae

urbis, totius populi electione, adeptus est. Postmodum, sub Nerva Trajano, apud Cutilias, ubi putentes et sulphureae emanant aquae, cum aliis Dei servis, relegatus, ab Aureliano Iudice jussus est suspendi capite deorsum; idque cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, tandem, gloriose coronatus, victor migravit ad Dominum. Ejus corpus rapuerunt Christiani, et honorifica sepultura Amiterni, in Vestinis, condiderunt.

Constantinopoli sanctorum Martyrum Urbani, Theodori, Menedemi, et Sociorum septuaginta septem ex ordine ecclesiastico; qui a Valente Imperatore, pro fide catholica, in navigio impositi, jussi sunt in mari comburi.

In Portu Romano passio sancti Herculani militis, qui, sub Gallo Imperatore, ob Christi fidem caesus flagris et capite obruncatus est.

Capuae sanctorum Martyrum Quinctii, Arcontii et Donati.

Eodem die sancti Romuli, qui, cum esset Trajani aulae prefectus ac saevitiam Imperatoris in Christianos detestaretur, caesus est virgis, et capite truncatus.

Melitinae, in Armenia, passio sanctorum militum Eudoxii, Zenonis, Macarii, et Sociorum mille centum et quatuor; qui, cum abjecissent militiae cingulum, in persecutione Diocletiani, pro Christi confessione necati sunt.

In pago Tarvanensi, monasterio Sithinensi, in Gallia, sancti Bertini Abbatis.

Toleti, in Hispania, sanctae Obduliae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Septembris**      **Octavo Idus Septembris.**      **vij. A**

In Palaestina sancti Zachariae Prophetae, qui, de Chaldaea senex in patriam reversus, ibique defunctus, juxta Aggaeum Prophetam conditus jacet.

In Hellesponto sancti Onesiphori, Apostolorum discipuli, cujus meminit sanctus Paulus ad Timotheum scribens. Ipse autem Onesiphorus ibidem, una cum sancto Porphyrio, jussu Hadriani Proconsulis acriter verberatus et a ferocibus raptatus equis, spiritum Deo reddidit.

In Africa sanctorum Episcoporum Donatiani, Praesidii, Mansueti, Germani et Fusculi; qui, in persecutione Wandalica, jussu Ariani Regis Hunnerici, pro assertione catholicae veritatis, fustibus dirissime caesi et exsilio eliminati sunt. Inter eos etiam erat Episcopus, nomine Laetus, strenuus atque doctissimus vir, qui, post diuturnos carceris squalores, incendio concrematus est.

Alexandriae passio sanctorum Martyrum Fausti Presbyteri, Macarii et Sociorum decem; qui, sub Decio Imperatore et Valerio Praeside, pro Christi nomine, abscissis cervicibus, martyrium compleverunt.

In Cappadocia sanctorum Martyrum Cottidi Diaconi, Eugenii et Sociorum.

Veronae sancti Petronii, Episcopi et Confessoris.

Romae sancti Eleutherii Abbatis, qui Dei servus fuit, atque (ut sanctus Gregorius Papa scribit) oratione et lacrimis mortuum suscitavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Septembris**      **Septimo Idus Septembris.**      **vij. B**

Trecis, in Gallia, sancti Nemorii Diaconi, et Sociorum Martyrum, quos Attila, Rex Hunnorum, interfecit.

Nicomediae natalis beati Joannis Martyris, qui, cum videret crudelia adversus Christianos edicta in foro pendere, hinc, fidei ardore accensus, injecta manu, illa detraxit atque discerpsit. Cumque hoc relatam esset Diocletiano et Maximiano Augustis, in eadem urbe constitutis, omnia suppliciorum genera in eum experiri jusserunt; quae vir nobilissimus tanta vultus ac spiritus alacritate pertulit, ut ne tristis quidem pro his videri poruerit.

Caesareae, in Cappadocia, sancti Eupsychii Martyris, qui, sub Hadriano Imperatore, accusatus quod Christianus esset, in carcerem coniectus est; et, paulo post inde emissus, patrimonium statim vendidit, et pretium partim pauperibus, partim accusatoribus, tamquam benefactoribus, distribuit.

Sed, iterum comprehensus, atque, cum sacrificare nollet idolis, saevissime dilaniatus et gladio confossus, sub Sapritio Iudice martyrium consummavit.

Pompejopoli, in Cilicia, sancti Sozontis Martyris, qui sub Maximiano Imperatore, in ignem injectus, reddidit spiritum.

Aquilejae sancti Anastasii Martyris.

Apud Alexiam veterem, in territorio Augustodunensi, sanctae Reginae, Virginis et Martyris; quae, sub Proconsule Olybrio, carceris et equulei ac lampadarum afflicta suppliciis, demum, capite damnata, migravit ad Sponsum.

Aurelianis, in Gallia, depositio sancti Evortii Episcopi, qui, primo Romanae Ecclesiae Subdiaconus, dehinc divino munere per columbam designatus est Pontifex praefatae urbis.

In Gallia sancti Augustalis, Episcopi et Confessoris.

Capuae sancti Pamphili Episcopi.

In territorio Parisiensi sancti Clodoaldi, Presbyteri et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Septembris**

**Sexto Idus Septembris.**

**vij. C**



Nativitas beatissimae semper Virginis Genitricis Dei Mariae. Sancti Hadriani Martyris; cujus dies natalis quarto Nonas Martii recensetur, sed festivitas hac die, qua sacrum ejus corpus Romam translatum fuit, potissime celebratur.

Valentiae, in Hispania Tarraconensi, natalis sancti Thomae a Villa Nova, ex Eremitarum sancti Augustini Ordine, Episcopi et Confessoris, insignis propter flagrantem in pauperes caritatem; qui ab Alexandro Papa Septimo in Sanctorum numerum adscriptus est. Ipsius autem festum decimo Kalendas Octobris celebratur.

Alexandriae sanctorum Martyrum Ammonis, Theophili, Neoterii et aliorum viginti duorum.

Antiochiae sanctorum Timothei et Fausti Martyrum.

Gazae, in Palaestina, sanctorum Martyrum fratrum Eusebii, Nestabi et Zenonis; qui, tempore Juliani Apostatae, irruente in eos turba Gentilium, discerpti atque necati sunt.

Ibidem sancti Nestoris Martyris, qui sub eodem Juliano, ab iisdem Gentilibus furentibus saevissime cruciatus, emisit spiritum.

Romae sancti Sergii Primi, Papae et Confessoris.

Frisingae sancti Corbiniani, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus. Hic, a sancto Gregorio Secundo Pontifice ordinatus et ad praedicandum Evangelium missus, uberes fructus in Gallia et Germania retulit, ac demum, virtutibus et miraculis clarus, in pace quievit.

Carthagine nova, in America meridionali, sancti Petri Claver, Sacerdotis e Societate Jesu et Confessoris; qui mira sui abnegatione et eximia caritate Nigritis in servitutum abductis, annos amplius quadraginta, operam impendens, tercenta fere eorum millia Christo sua ipse manu regeneravit; et a Leone Decimo tertio, Pontifice Maximo, in Sanctorum numerum relatus est, ac dein etiam caelestis Patronus peculiaris sacrarum ad Nigritas Missionum constituitus et declaratus.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Septembris**      **Quinto Idus Septembris.**      **vij. D**

Nicomediae passio sanctorum Martyrum Dorothei et Gorgonii, qui, cum essent apud Diocletianum Augustum honores amplissimos consecuti, et persecutionem, quam ille Christianis inferebat, detestarentur, praesente eo, jussi sunt primo appendi, et flagris toto corpore laniari; deinde, visceribus pelle nudatis, aceto et sale perfundi, sicque assari in craticula; atque, ad ultimum, laqueo necari. Interjecto autem tempore, beati Gorgonii corpus Romam delatum fuit, ac via Latina positum, et inde ad Basilicam sancti Petri translatum.

In Sabinis, trigesimo ab Urbe milliario, sanctorum Martyrum Hyacinthi, Alexandri et Tiburtii.

Sebaste, in Armenia, sancti Severiani, qui, cum Licinii

Imperatoris esset miles, et Quadraginta Martyres, in carcere detentos frequens visitaret, hinc, jussu Lysiae Praesidis, saxo ad pedes ligato suspensus est, ac, verberibus caesus et flagris laniatus, in tormentis reddidit spiritum.

Eodem die passio sancti Stratonis, qui pro Christo, ad duas arbores ligatus atque discerptus, martyrium consummavit.

Item sanctorum Martyrum Rufini et Rufiniani fratrum.

In territorio Tarvanensi, in Gallia, sancti Audomari Episcopi.

In monasterio Cluanensi, in Hibernia, sancti Querani, Presbyteri et Abbatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Septembris**      **Quarto Idus Septembris.**      **vij. E**

Tolentini, in Piceno, depositio sancti Nicolai Confessoris, ex Ordine Eremitarum sancti Augustini.

In Africa natalis sanctorum Episcoporum Nemesiani, Felicis, Lucii, alterius item Felicis, Littei, Polyani, Victoris, Jaderis, Dativi et aliorum; qui, sub Valeriano et Gallieno, exurgente persecutionis rabie, ad primam confessionis Christi constantiam graviter fustibus caesi sunt, deinde, compedibus vincti et ad fodienda metalla deputati, gloriosae confessionis agonem consummarunt.

Leodii, in Belgio, sancti Theodardi, Episcopi et Martyris; qui animam suam posuit pro ovibus suis, et miraculorum signis post mortem illuxit.

Chalcedone sanctorum Martyrum Sosthenis et Victoris, qui, in persecutione Diocletiani, sub Asiae Proconsule Prisco, post vincula et bestias superatas, jussi sunt incendi; at illi, salutantes se invicem in osculo sancto, in oratione positi emiserunt spiritum.

Item sanctorum Martyrum Apellii, Lucae et Clementis.

In Bithynia sanctarum Virginum sororum Menodoraе, Metrodoraе et Nymphodoraе; quae sub Maximiano Imperatore et Frontone Praeside, ob intrepidam in Christi fide constantiam martyrio coronatae, pervenerunt ad gloriam.

Compostellae sancti Petri Episcopi, qui multis virtutibus et miraculis claruit.

In civitate Albigensi, in Gallia, sancti Salvii, Episcopi et Confessoris.

Novariae sancti Agapii Episcopi.

Constantinopoli sanctae Pulcheriae Augustae, Virginis, religione et pietate insignis.

Neapoli, in Campania, sanctae Candidae junioris, miraculis

clarae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Septembris**      **Tertio Idus Septembris.**      **xiv. F**

Romae, via Salaria veteri, in coemeterio Basillae, natalis sanctorum Martyrum Proti et Hyacinthi fratrum, eunuchorum beatae Eugeniae. Hi, sub Gallieno Imperatore, deprehensi quod essent Christiani, sacrificare coguntur; sed non consentientes, primo durissime verberati sunt, ac tandem pariter decollati.

Legione, in Hispania, sancti Vincentii, Abbatis et Martyris.

Laodiceae, in Syria, passio sanctorum Diodori, Diomedis et Didymi.

In Aegypto sancti Paphnutii Episcopi, qui unus fuit ex iis Confessoribus, qui, sub Galerio Maximiano Imperatore, dextro oculo effosso et sinistro poplite exciso, ad metalla damnati fuerunt; deinde, sub Constantino Magno, adversus Arianos, pro fide catholica, strenue decertavit; et demum, multis coronis auctus, in pace quievit.

Lugduni, in Gallia, depositio sancti Patientis Episcopi.

Vercellis sancti Aemiliani Episcopi.

Alexandriae sanctae Theodoraе, quae, cum incaute

deliquisset, inde, facti paenitens, mirabili abstinentia et patientia in habitu sancto perseveravit incognita usque ad mortem.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Septembris**      **Pridie Idus Septembris.**      **xij. G**

Festum sanctissimi Nominis beatae Mariae, quod Innocentius Undecimus, Pontifex Maximus, ob insignem victoriam de Turcis, ipsius Virginis praesidio, Vindobonae in Austria reportatam, celebrari iussit.

In Bithynia sancti Autonomi, Episcopi et Martyris; qui ex Italia, Diocletiani Imperatoris persecutionem declinans, illuc profectus, ibi, cum plurimos convertisset ad fidem, a furentibus Gentilibus, dum sacra Mysteria perageret, ad altare mactatus est, et hostia Christi effectus.

Iconii, in Lycaonia, sancti Curonoti Episcopi, qui sub Perennio Praeside, capite truncatus, martyrii palmam accepit.

Alexandriae natalis sanctorum Martyrum Hieronidis, Leontii, Serapionis, Selesii, Vaeriani et Stratonis, qui, sub Maximino Iroperatore, ob confessionem nominis Christi, in mare sunt demersi.

Meri, in Phrygia, passio sanctorum Martyrum Macedonii, Theoduli et Tatiani, qui, sub Juliano Apostata, ab Almachio

Praeside, post alia tormenta, super crates ferreas ignitas positi, exsultantes martyrium compleverunt.

Apud Papiam sancti Juventii Episcopi, de quo agitur sexto Idus Februarii. Ipse, a beato Hermagora, discipulo sancti Marci Evangelistae, ad eam urbem, una cum sancto Syro, cujus memoria recolitur quinto Idus Decembris, directus est; et ambo, praedicantes illic Christi Evangelium et magnis virtutibus ac miraculis coruscantes, etiam vicinas urbes divinis operibus illustrarunt, sicque in pontificali honore, glorioso fine, quieverunt in pace.

Lugduni, in Gallia, depositio sancti Sacerdotis Episcopi.

Veronae sancti Silvini Episcopi.

Anderlaci, prope Bruxellas, in Brabantia, sancti Guidonis Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Septembris**      **Idibus Septembris.**      **xij. A**

Alexandriae natalis beati Philippi, patris sanctae Eugeniae Virginis. Hic, dignitatem Praefecturae Aegypti deserens, Baptismatis gratiam assecutus est; quem, in oratione constitutum, jussit Terentius Praefectus, ejus successor, gladio jugulari.

Item sanctorum Martyrum Macrobiani et Juliani, qui sub

Licinio passi sunt.

Eodem die sancti Ligorii Martyris, qui a Gentilibus, in eremo degens, ob Christi fidem necatus est.

Alexandriae sancti Eulogii Episcopi, doctrina et sanctitate celebris.

Andegavi, in Gallia, sancti Maurilii Episcopi, qui innumeris miraculis claruit.

Apud Senonas sancti Amati, Episcopi et Confessoris.

In monasterio Romarico, in Gallia, sancti Amati, Presbyteri et Abbatis, abstinentia et miraculorum dono illustris.

Ipsa die sancti Venerii Confessoris, admirandae sanctitatis viri, qui in insula Palmaria vitam eremiticam duxit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Septembris**

Decimo octavo Kalendas  
Octobris.

xj. B

Exaltatio sanctae Crucis, quando Heraclius Imperator, Chosroa Rege devicto, eam de Perside Hierosolymam reportavit.

Romae, via Appia, beati Cornelii, Papae et Martyris; qui, in persecutione Decii, post exsilii relegationem, iussus est



plumbatis caedi, et sic, cum aliis viginti et uno promiscui sexus, decollari. Sed et Caerealis miles cum Sallustia uxore, quos idem Cornelius in fide instruxerat, eodem die sunt capite plexi.

In Africa passio sancti Cypriani, Episcopi Carthaginensis, sanctitate et doctrina clarissimi; qui, sub Valeriano et Gallieno Principibus, post durum exsilium, capitis detruncatione martyrium consummavit, sexto milliario a Carthagine, juxta mare. Eorumdem vero sanctorum Cornelii et Cypriani memoria sextodecimo Kalendas Octobris festive celebratur.

Apud Comanam, in Ponto, natalis sancti Joannis, Episcopi Constantinopolitani, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, propter aureum eloquentiae flumen cognomento Chrysostomi; qui, ab inimicorum factione in exsilium ejectus, et, cum e sancti Innocentii Primi, Summi Pontificis, decreto inde revocaretur, in itinere, a custodientibus militibus multa mala perpressus, animam Deo reddidit. Ejus autem festivitas sexto Kalendas Februarii celebratur, quo die sacrum ipsius corpus a Theodosio juniore Constantinopolim fuit translatum. Hunc vero praeclarissimum divini verbi prasconem Pius Papa Decimus caelestem Oratorum sacrorum Patronum declaravit atque constituit.

Treviris sancti Materni Episcopi, qui fuit discipulus beati Petri Apostoli; ac Tungrenses, Colonienses et Trevirenses, aliosque finitimos populos ad Christi fidem perduxit.

Romae sancti Crescentii pueri, qui sancti Euthymii filius

exstitit; atque, in persecutione Diocletiani, sub Turpilio Iudice, via Salaria, gladio percussus, occubuit.

In Africa passio sanctorum Martyrum Crescentiani, Victoris, Rosulae et Generalis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Septembris**

**Decimo septimo Kalendas  
Octobris.** x. C

Octava Nativitatis beatae Mariae Virginis. Festum Septem Dolorum ejusdem beatissimae Virginis Mariae.

Romae, via Nomentana, natalis beati Nicomedis, Presbyteri et Martyris, qui, cum diceret compellentibus se sacrificare: « Ego non sacrifico nisi Deo omnipotenti, qui regnat in caelis », plumbatis diutissime caesus est, atque in eo tormento migravit ad Dominum.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Emilae Diaconi, et Jeremise, qui, in persecutione Arabica, post longam carceris macerationem, demum, cervicibus pro Christo abscissis, martyrium compleverunt.

In territorio Cabillonensi sancti Valeriani Martyris, quem Priscus Praeses, suspensum et gravi ungularum laceratione cruciatum, tandem, cum in Christi confessione videret immobilem ac laeto animo in ejus laudibus permanentem,

gladio animadverti praecepit.

Hadrianopoli, in Thracia, sanctorum Martyrum Maximi, Theodori et Asclepiodoti; qui sub Maximiano Imperatore coronati sunt.

Item sancti Porphyrii mimi, qui, coram Juliano Apostata, per jocum suscipiens baptismum, Dei virtute derepente mutatur, et Christianum se esse profitetur; ac mox, ipsius Imperatoris mandato securi percussus, martyrio coronatur.

Eodem die sancti Nicetae Gothi, qui ab Athanarico Rege, ob catholicam fidem, jussus est igne comburi.

Marcianopoli, in Thracia, sanctae Melitinae Martyris, quae, sub Antonino Imperatore et Antiocho Prseside, cum ad Gentilium fana semel et iterum ducta esset, atque idola semper corruerent, ideo suspensa et laniata est, ac demum capite plexa.

Tulli, in Gallia, sancti Apri Episcopi.

Item sancti Leobini, Episcopi Carnutensis.

Lugduni, in Gallia, sancti Albini Episcopi.

Eodem die depositio sancti Aichardi Abbatis.

In Gallia sanctae Eutropiae Viduae.

Genuae sanctae Catharinae Viduae, contemptu mundi et

caritate in Deum insignis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Septembris**

**Sextodecimo Kalendas  
Octobris.**

**ix. D**

Sanctorum Martyrum Cornelii Pape, et Cypriani, Carthaginensis Episcopi, quorum memoria decimo octavo Kalendas Octobris recolitur.

Chalcedone natalis sanctae Euphemiae, Virginis et Martyris; quae, sub Diocletiano Imperatore et Prisco Proconsule, tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera lapidum, bestias, plagas virgarum, serras acutas, sartagines ignitas pro Christo superavit. Sed, rursus in theatrum ad bestias ducta, ibi, cum orasset ad Dominum ut jam spiritum suum susciperet, una ex iis morsum sancto corpori infigente, ceteris pedes ejus lambentibus, immaculatum spiritum Deo reddidit.

Romae sanctorum Martyrum Luciae, nobilis matronae, et Geminiani; quos ambos Diocletianus Imperator, poenis gravissimis afflictos diuque tortos, tandem, post laudabilem martyrii victoriam, gladio animadverti praecepit.

Natalis sancti Martini Primi, Papae et Martyris, qui, cum Sergium ac Paulum et Pyrrhum haereticos, Romae coacta Synodo, condemnasset, ideo, jussu Constantis, Imperatoris haeretici, per fraudem captus et Constantinopolim

perductus, in Chersonesum relegatus est, ibique, ob catholicam fidem aerumnis confectus, vitam finivit, multisque miraculis claruit. Ejus corpus, postea Romam translatum, in Ecclesia sanctorum Silvestri et Martini conditum fuit. Ipsius tamen festivitas pridie Idus Novembris celebratur.

Romae item natalis sanctae Caeciliae, Virginis et Martyris, quae sponsum suum Valerianum et fratrem ejus Tiburtium ad credendum in Christum perduxit, et ad martyrium incitavit. Hanc Almachius, Urbis Praefectus, post eorum martyrium teneri, atque illustri passione, post ignem superatum, fecit gladio consummari, tempore Marci Aurelii Severi Alexandri Imperatoris. Ejus vero festum recolitur decimo Kalendas Decembris.

Heracleae, in Thracia, sanctae Sebastianae Martyris, quae a beato Paulo Apostolo ad Christi fidem est perducta; atque, sub Domitiano Imperatore et Sergio Praeside, variis modis tentata, gladio tandem caesa est.

Romae, via Flaminia, sanctorum Martyrum Abundii Presbyteri, et Abundantii Diaconi, quos Diocletianus Imperator, una cum illustri viro Marciano et ejus filio Joanne, quem illi a mortuis suscitaverant, gladio feriri iussit, decimo ab Urbe lapide.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Rogelli et Servidei, qui, manibus pedibusque abscissis, ad ultimum decollati sunt.

Apud Candidam Casam, in Scotia, sancti Niniani, Episcopi

et Confessoris.

In Anglia sanctae Edithae Virginis, Regis Anglorum Edgari filiae, quae, in monasterio a teneris annis Deo dicata, saeculum hoc ignoravit potius quam reliquit.

In monte Cassino Beati Victoris Papae Tertii, qui, sancti Gregorii Septimi successor, Apostolicam Sedem novo splendore illustravit, insignem de Saracenis triumphum divina ope consecutus. Cultum, ab immemorabili tempore eidem exhibitum, Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus, ratum habuit et confirmavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Septembris**

Quintodecimo Kalendas  
Octobris.

vij. E

In monte Alverniae, in Etruria, commemoratio Impressionis sacrorum Stigmatum, quibus sanctus Franciscus, Ordinis Minorum Institutor, in suis manibus, pedibus et latere, mirabili Dei gratia, impressus fuit.

Romae natalis sancti Roberti Bellarmino, Confessoris, e Societate Jesu, atque Cardinalis et Capuani olim Episcopi, sanctitate, doctrina, et plurimis ad catholicae fidei et Apostolicae Sedis defensionem susceptis laboribus clarissimi; quem Pius Undecimus, Pontifex Maximus, Sanctorum honoribus auxit et universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, ejusque festum tertio Idus Maji

recolendum indixit.

Romas, via Tiburtina, natalis sancti Justini, Presbyteri et Martyris; qui, in persecutione Valeriani et Gallieni, ob confessionis gloriam fuit insignis. Hic beati Pontificis Xysti Secundi, Laurentii, Hippolyti aliorumque plurimorum Sanctorum corpora sepelivit, ac demum, sub Claudio, martyrium consummavit.

Item Romae sanctorum Martyrum Narcissi et Crescentionis.

Apud Leodium, in Belgio, beati Lamberti, Episcopi Trajectensis, qui, cum regiam domum zelo religionis increpasset, a nocentibus innocens occisus est, sicque aulam regni caelestis perpetuo victurus intravit.

Caesaraugustae, in Hispania, sancti Petri de Arbues, primi in Aragoniae regno Quaesitoris fidei; quem, a relapsis Judaeis ob eandem, quam pro munere suo strenue tuebatur, catholicam fidem, immaniter trucidatum, sanctorum Martyrum catalogo [Beatus] Pius Papa Nonus adjunxit.

In Britania sanctorum Martyrum Socratis et Stephani.

Novioduni, in Galliis, sanctorum Martyrum Valeriani, Macrini et Gordiani.

Augustoduni sancti Flocelli pueri, qui, sub Antonino Imperatore et Valeriano Praeside, multa passus, demum, a feris discerptus, martyrii coronam adeptus est.

Cordubae, in Hispania, sanctae Columbae, Virginis et Martyris.

In Phrygia sanctae Ariadnae Martyris, sub Hadriano Imperatore.

Eodem die sanctae Agathocliae, quae, cum esset ancilla cujusdam mulieris infidelis, a domina sua longo tempore verberibus aliisque aerumnis est vexata ut Christum negaret; demum, oblata Judici ac saevius laniata, et nihilominus in confessione fidei persistens, ideo, post excisionem linguae, in ignem projecta est.

Mediolani depositio sancti Satyri Confessoris, cujus insignia merita sanctus Ambrosius, ejus frater, commemorat.

Apud Bingiam, in dioecesi Moguntinensi, sanctae Hildegardis Virginis.

Romae sanctae Theodoraе matronae, quae, in persecutione Diocletiani, sanctis Martyribus sedulo ministrabat.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Septembris**

**Quartodecimo Kalendas  
Octobris.**

**vij. F**

Auximi, in Piceno, sancti Josephi a Cupertino, Sacerdotis ex Ordine Minorum Conventualium et Confessoris; quem Clemens Papa Decimus tertius in Sanctorum numerum retulit.



In Chalcide Graeciae natalis sancti Methodii, qui prius Olympii, in Lycia, et postea Tyri, in Phoenicia, exstitit Episcopus, sermonis nitore ac doctrina clarissimus; atque, ad extremum novissimae persecutionis (ut scribit sanctus Hieronymus), martyrio coronatus est.

In territorio Viennensi sancti Ferreoli Martyris, qui, cum esset tribuniciae potestatis, jussu impiissimi Praesidis Crispini tentus, et primo crudelissime verberatus, deinde, gravi catenarum pondere onustus, in teterrimum carcerem trusus est; unde, solutis Dei nutu vinculis et januis carceris patefactis, exiens, ab insequentibus iterum est captus, ac martyrii palmam obruncatione capitis percepit.

Item sanctarum Martyrum Sophiae et Irenes.

Mediolani sancti Eustorgii Primi, ejusdem civitatis Episcopi, beati Ambrosii testimonio celebris.

Gortynae, in Creta, sancti Eumenii, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Septembris**

**Tertiodecimo Kalendas  
Octobris.**

**vj. G**

Puteolis, in Campania, sanctorum Martyrum Januarii, Beneventanae civitatis Episcopi, ejusque Diaconi Festi, et Desiderii Lectoris, Sosii, Diaconi Ecclesiae Misenatis,

Proculi, Diaconi Puteolani; Eutychie et Acutii. Hi omnes, post vincula et carceres, capite caesi sunt, sub Diocletiano Principe. Corpus sancti Januarii delatum fuit Neapolim, atque honorifice in Ecclesia tumulatum; ubi etiam beatissimi Martyris sanguis in ampulla vitrea adhuc servatur, qui, in conspectu capitis illius positus, velut recens liquescere et ebullire conspicitur.

In Palaestina sanctorum Martyrum et Aegypti Episcoporum Pelei, Nili et Eliae; qui, tempore persecutionis Diocletiani, cum plurimis Clericis, pro Christo sunt igne consumpti.

Nuceriae natalis sanctorum Martyrum Felicis et Constantiae, qui passi sunt sub Nerone.

Eodem die sanctorum Martyrum Trophimi, Sabbatii et Dorymedontis, sub Probo Imperatore. Ex eis Sabbatius Antiochiae, jussu Attici Praesidis, tamdiu flagris caesus est, donec emitteret spiritum; Trophimus vero, Synnadam, in Phrygia, ad Perennium Praesidem missus, ibi, post multos cruciatus, cum Dorymedonte Senatore, capitis decollatione martyrium consummavit.

Eleutheropoli, in Palaestina, sanctae Susannae, Virginis et Martyris; quae, orta ex idolorum sacerdote Arthemio et Judaea muliere Martha, ad Christianam fidem, parentibus mortuis, est conversa, atque ob eandem fidem ab Alexandro Praefecto varie torta et in carcerem trusa, ibi orans migravit ad Sponsum.

Cordubae, in Hispania, sanctae Pomposae, Virginis et Martyris; quae in persecutione Arabica, ob impavidam

Christi confessionem decollata gladio, palmam consecuta est.

Cantuariae sancti Theodori Episcopi, qui, a beato Vitaliano Papa in Angliam missus, doctrina et sanctitate refulsit.

Turonis, in Gallia, sancti Eustochii Episcopi, magnarum virtutum viri.

In territorio Lingoniensi sancti Sequani, Presbyteri et Confessoris.

Barcinone, in Hispania, beatæ Mariæ de Cervellione, ex Ordine beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, Virginis; quæ, ob præsentem quam invocantibus confert opem, Maria de Subsidio vulgo nuncupatur.

In vico Druelle, in dioecesi Ruthenensi, in Gallia, sanctæ Mariæ Gulielmæ Aemiliæ de Rodat, Virginis, Congregationis Sororum a sancta Familia Fundatricis, puellis erudiendis et egenis sublevandis addictissimæ, quæ a Pio Duodecimo, Pontifice Maximo, inter sanctas Virgines relata est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Septembris**

**Duodecimo Kalendas  
Octobris.**

**v. A**

Vigilia sancti Matthæi, Apostoli et Evangelistæ.

Romae passio sanctorum Martyrum Eustachii et Theopistis uxoris, cum duobus filiis Agapito et Theopisto, qui, sub Hadriano Imperatore, damnati ad bestias, sed Dei ope ab iis nullatenus laesi, tandem, in bovem aeneum candentem inclusi, martyrium consummarunt.

Cyzici, in Propontide, natalis sanctorum Martyrum Faustae Virginis, et Evilasii, sub Maximiano Imperatore; e quibus Fausta, ab eodem Evilasio, idolorum sacerdote, decalvata et ad turpitudinem rasa, suspensa et torta est. Deinde, cum eam vellet mediam secare, et carnifices laedere non valerent, stupens credit in Christum Evilasius; et, dum ipse quoque, Imperatoris jussu, fortiter torqueretur, Fausta, capite terebrata, clavis toto corpore confixa et sartagini ignitae imposita, tandem, cum eodem Evilasio, illam voce de cadis vocante, transivit ad Dominum.

In Phrygia sanctorum Martyrum Dionysii et Privati.

Item sancti Prisci Martyris, qui, punctim pugionibus transverberatus, capite plexus est.

Perge, in Pamphylia, sanctorum Theodori, et Philippae matris, ac Sociorum Martyrum, sub Antonino Imperatore.

Carthagine sanctae Candidae, Virginis et Martyris; quae, sub Maximiano Imperatore, plagis toto corpore dilacerata, martyrio coronatur.

Mediolani sancti Clicerii, Episcopi et Confessoris.

Romae Translatio corporis sancti Agapiti Primi, Papae et Confessoris, ex urbe Constantinopoli, in qua Pontifex decimo Kalendas Maji obdormierat in Domino.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Septembris**

**Undecimo Kalendas  
Octobris.**

**iv. B**

In Aethiopia natalis sancti Matthaei, Apostoli et Evangelistae; qui, in ea regione praedicans, martyrium passus est. Hujus Evangelium, Hebraeo sermone conscriptum, ipso Matthaeo revelante, inventum est, una cum corpore beati Barnabae Apostoli, tempore Zenonis Imperatoris.

In terra Saar sancti Jonae Prophetae, qui sepultus est in Geth. In Aethiopia sanctat Iphigeniae Virginis, quae, baptizata a beato Matthaeo Apostolo et Deo dicata, sancto fine quievit.

Romae sancti Pamphili Martyris.

Eodem die, via Claudia, vigesimo ab Urbe milliario, passio sancti Alexandri Episcopi, qui, sub Antonino Imperatore, pro Christi fide, vincula, fustes, equuleum, lampades ardentes, unguularum laniationem, bestias ac fornacis superavit flammam, ac tandem, gladio caesus, vitam adeptus est gloriosam. Ejus corpus postea beatus Damasus Papa in

Urbem transtulit sexto Kalendas Decembris.

In Cypro sancti Isacii, Episcopi et Martyris.

In Phoenicia sancti Eusebii Martyris, qui, cum ultro Praefectum adisset et se Christianum esse denuntiasset, ab eo, multis tormentis afflicto, capite caesus est.

In Cypro sancti Meletii, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Septembris**      **Decimo Kalendas Octobris.**    **iiij. C**

Sancti Thomae a Villa Nova, ex Eremitarum sancti Augustini Ordine, Episcopi Valentini et Confessoris; cujus dies natalis recolitur sexto Idus Septembris.

Seduni, in Gallia, in loco Agauno, natalis sanctorum Martyrum Thebaeorum Mauritii, Exsuperii, Candidi, Victoris, Innocentii et Vitalis, cum Sociis ejusdem legionis; qui, sub Maximiano, pro Christo necati, gloriosa passione mundum illustrarunt.

Romae passio sanctarum Virginum et Martyrum Dignae et Emeritae, sub Valeriano et Gallieno; quarum reliquiae in Ecclesia sancti Marcelli asservantur.

Ratisbonae, in Bavaria, sancti Emmerami, Episcopi et

Martyris; qui, ut alios liberaret, mortem saevissimam, Christi causa, patienter subiit.

Apud pagum Castrensiū sancti Jonae, Presbyteri et Martyris; qui, cum sancto Dionysio profectus in Galliam, ibidem, Juliani Praefecti jussu verberibus caesus, gladio martyrium consummavit.

Antinoopoli, in Aegypto, sanctae Iraidis, Virginis Alexandrinae, et Sociorum Martyrum. Ipsa Virgo, cum esset ad hauriendam e proximo fonte aquam egressa, et navim vidisset Confessoribus Christi onustam, protinus, relicta hydria, se illis adjunxit, ac, simul cum iis in urbem ducta, prima omnium, post multa supplicia, capite caesa est; deinde Presbyteri, Diaconi, et Virgines, alique omnes eodem mortis genere consumpti sunt.

Romae sancti Felicis Papae Quarti, qui pro fide catholica plurimum laboravit.

Apud civitatem Meldensem beati Sanctini Episcopi, qui fuit discipulus sancti Dionysii Areopagitae; et, ejusdem civitatis Episcopus ab eo consecratus, primus illic Evangelium praedicavit.

In territorio Constantiensi, in Gallia, sancti Lautonis Episcopi.

In monte Glonna, ad Ligerim flumen, in Gallia, sancti Florentii Presbyteri.

In oppido cui Leprosii nomen, in territorio Bituricensi,

sancti Silvani Confessoris.

Lauduni, in Gallia, sanctae Salabergae Abbatissae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Septembris**      **Nono Kalendas Octobris.**      **ij. D**

Romae sancti Lini, Papae et Martyris, qui, primus post beatum Petrum Apostolum, Romanam Ecclesiam gubemavit, et, martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano, prope eundem Apostolum.

Iconii, in Lycaonia, sanctae Theclae, Virginis et Martyris; quae, a sancto Paulo Apostolo ad fidem perducta, ignes ac bestias, sub Nerone Imperatore, in Christi confessione devicit; et, post plurima ad multorum doctrinam superata certamina, venit Seleuciam, ibique requievit in pace. Ipsam vero sancti Patres summis laudibus celebrarunt.

In Hispania sanctarum mulierum Xantippae et Polyxenae, quae fuerunt Apostolorum discipulae.

In Africa sanctorum Martyrum Andreae, Joannis, Petri et Antonii.

Anconae sancti Constantii, Ecclesiae Mansionarii, miraculorum gratia conspicui.

In Campania commemoratio beati Sosii, Diaconi Misenatis,



quem sanctus Episcopus Januarius, cum de capite illius, Evangelium in Ecclesia legentis, flammam videret exurgere, Martyrem futurum praeannuntiavit; et, non post multos dies, ipse Sosius, cum esset annorum triginta, capitis detruncatione martyrium cum eodem Episcopo suscepit.

Sesciaci, in Constantiensi Galliae territorio, item Commemoratio sancti Paterni, Episcopi Abrincensis et Confessoris; cujus dies natalis sextodecimo Kalendas Maji recolitur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Septembris**      **Octavo Kalendas Octobris.**      **j. E**

Festum beatæ Mariæ Virginis de Mercede nuncupatæ, Ordinis redemptionis captivorum sub ejus nomine Institutricis, de cujus Apparitione agitur quarto Idus Augusti.

Brixiae depositio sancti Anathalonis Episcopi, qui, beati Barnabæ Apostoli discipulus, in ejus locum Episcopus Ecclesiæ Mediolanensis successit.

In Pannonia sancti Gerardi, Episcopi Morisenæ sedis et Martyris, Hungarorum Apostoli nuncupati, patricii Veneti; qui, cum e Chanadiensi oppido Albam Regalem se conferret, prope flumen Danubium ab infidelibus impetitus, lapidibus obrutus ac tandem lancea transfixus occubuit, sicque primus patriam nobili martyrio illustravit.

Augustoduni natalis sanctorum Martyrum Andochii Presbyteri, Thyrsi Diaconi, et Felicis. Hi, a beato Polycarpo, Smyrnensi Episcopo, ab Oriente directi ad docendam Galliam, ibidem flagellis durissime caesi, ac tota die inversis manibus suspensi, et in ignem missi sunt, sed non combusti; tandem eorum colla vectibus feriuntur, et ita Martyres gloriosissime coronantur.

In Aegypto passio sanctorum Paphnutii et Sociorum Martyrum. Ipse, vitam in solitudine agens, cum audiret multos Christianos in vinculis retineri, sponte, divino Spiritu concitus, Praefecto se offert, et Christianam religionem libere profitetur; a quo primum catenis ferreis costringitur, et in equuleo diutissime torquetur, deinde cum aliis plurimis ad Diocletianum mittitur, cujus jussu, ipse palmae affigitur, ceteri autem ferro necantur.

Chalcedone sanctorum quadraginta novem Martyrum, qui post martyrium sanctae Euphemiae, sub Diocletiano Imperatore, damnati ad bestias, et, cum ab iis divinitus liberi evasissent, demum, gladio percussi, migraverunt in caelum.

Arvernus, in Gallia, depositio sancti Rustici, Episcopi et Confessoris.

Flaviaci, in territorio Bellovacensi, sancti Geremari, Presbyteri et Abbatis.

Septempedae, in Piceno, depositio sancti Pacifici, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, eximiae

patientiae viri et solitudinis amore praeclari, quem Gregorius Papa Decimus sextus in Sanctorum canonem retulit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Septembris**      **Septimo Kalendas Octobris.**    \* . F

Apud castellum Emmaus natalis beati Cleophae, qui fuit Christi discipulus, quem et in eadem domo in qua mensam Domino paraverat, pro confessione illius a Judaeis occisum tradunt, et gloriosa memoria sepultum.

Ambiani, in Gallia, beati Firmini Episcopi, qui, in persecutione Diocletiani, sub Rictiovaro Praeside, post varia tormenta, capitis decollatione martyrium sumpsit.

Eodem die, via Claudia, sancti Herculani, militis et Martyris; qui, sub Antonino Imperatore, miraculis in passione beati Alexandri Episcopi ad Christum conversus, atque ob fidei confessionem, post multa tormenta, gladio caesus est.

Damasci sanctorum Martyrum Pauli, et Tattae conjugis, ac Sabiniani, Maximi, Rufi et Eugenii filiorum; qui, Christianae religionis accusati, verberibus aliisque suppliciis torti sunt, et in cruciatibus animas Deo reddiderunt.

In Asia passio sanctorum Bardomiani, Eucarpi et aliorum

viginti sex Martyrum.

Lugduni, in Gallia, depositio sancti Lupi, qui ex Anachoreta factus est Episcopus.

Antisiodori sancti Anacharii, Episcopi et Confessoris.  
Blesis, in Gallia, sancti Solemnii, Episcopi Carnutensis, miraculis clari.

Eodem die sancti Principii, qui fuit Episcopus Suessionensis et frater beati Remigii Episcopi.

Anagniae sanctarum Virginum Aureliae et Neomisiae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Septembris**      **Sexto Kalendas Octobris.**      **xxix. G**

Nicomediae natalis sanctorum Martyrum Cypriani, et Justinae Virginis. Haec, sub Diocletiano Imperatore et Eutolmio Praeside, cum multa pro Christo pertulisset, ipsum quoque Cyprianum, qui erat magus et suis magicis artibus eam dementare conabatur, ad Christianam fidem convertit; cum quo postea martyrium sumpsit. Eorum corpora, feris objecta, rapuerunt noctu quidam nautae Christiani, et Romam detulerunt; quae, postmodum in Basilicam Constantinianam translata, prope Baptistarium condita sunt.

Romae sancti Callistrati Martyris, et aliorum quadraginta

novem militum; qui milites, in persecutione Diocletiani Imperatoris, cum Callistratus, insutus culeo et in mare demersus, divina ope evasisset incolumis, ad Christianam religionem conversi sunt, et cum eo pariter martyrium subierunt.

Bononia; sancti Eusebii, Episcopi et Confessoris.

Brixiae sancti Vigilii Episcopi.

In agro Tusculano beati Nili Abbatis, qui fundator monasterii Cryptae Ferratae ac vir magnae sanctitatis exstitit.

Tiferni, in Umbria, sancti Amantii Presbyteri, virtute miraculorum illustris.

Albani sancti Senatoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Septembris**      **Quinto Kalendas Octobris.**      **xxviiij. A**

Aegeae natalis sanctorum Martyrum Cosmae et Damiani fratrum, qui, in persecutione Diocletiani, post multa tormenta, vincula et carceres, post mare et ignes, cruces, lapidationem et sagittas divinitus superatas, capite plectuntur; cum quibus etiam referuntur passi tres eorum fratres germani, id est Anthimus, Leontius et Euprepus.

Lutetiae Parisiorum item natalis sancti Vincentii a Paulo, Presbyteri et Confessoris, Congregationis Presbyterorum Missionis et Puellarum Caritatis Fundatoris, viri apostolici et pauperum patris; quem Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus, omnium Societatum caritatis, in toto catholico Orbe existentium et ab eodem Sancto quomodolibet promanantium, caelestem Patronum apud Deum constituit. Ipsius tamen festivitas quartodecimo Kalendas Augusti celebratur.

Bybli, in Phoenicia, sancti Marci Episcopi, qui et Joannes a beato Luca nominatur, atque filius exstitit illius beatae Mariae, cujus memoria tertio Kalendas Julii recensetur.

Mediolani sancti Caji Episcopi, qui fuit discipulus beati Barnabae Apostoli; et, multa in Neronis persecutione passus, quievit in pace.

Romae sanctae Epicharidis, mulieris Senatoriae, quae, in eadem Diocletiani persecutione, plumbatis caesa est atque gladio percussa.

Tuderti, in Umbria, sanctorum Martyrum Fidentii et Terentii, sub eodem Diocletiano.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Adulphi et Joannis fratrum, qui, in persecutione Arabica, pro Christo coronati sunt; eorumque animata exemplo beata Virgo Aurea, ipsorum soror, ad fidem reducta, et ipsa postmodum martyrium fortiter subiit quartodecimo Kalendas Augusti.

Seduni, in Gallia, sancti Florentini Martyris, qui, una cum beato Hilario, post abscissionem linguae, jussus est gladio feriri.

Ravennae sancti Aderiti, Episcopi et Confessoris.

Lutetiae Parisiorum sancti Elzearii Comitis.

In Hannonia sanctae Hiltrudis Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Septembris**      **Quarto Kalendas Octobris.**      **xxvij. B**

Apud Boleslaviam veterem, in Bohemia, sancti Wenceslai, Ducis Bohemorum et Martyris, sanctitate et miraculis gloriosi, qui, dolo fratris sui necatus, victor pervenit ad palmam.

Romae sancti Privati Martyris, qui, ulceribus plenus, a beato Callisto Papa est sanatus; inde, sub Alexandro Imperatore, ob Christi fidem plumbatis caesus est usque ad mortem.

Item Romae sancti Stactei Martyris.

In Africa sanctorum Martyrum Martialis, Laurentii et aliorum viginti.

Antiochiae Pisidiae sancti Marci Martyris, pastoris ovium;

itemque commemoratio sanctorum Alphii, Alexandri et Zosimi fratrum, Niconis, Neonis, Heliodori et triginta militum, qui, cum ad miracula beati Marci credidissent in Christum, diversis in locis ac diebus variisque modis martyrio coronati sunt.

Eodem die passio sancti Maximi, sub Decio Imperatore.

Tolosae sancti Exsuperii, Episcopi et Confessoris; qui beatus vir quantum sibi parcus exstiterit quantumque aliis largus, sanctus Hieronymus relatu persecutus est memorabili.

Genuae sancti Salomonis, Episcopi et Confessoris.

Brixiae sancti Silvini Episcopi.

In Bethlehem Judae sanctae Eustochii Virginis, quae cum beata Paula, matre sua, ex urbe Roma in Palaestinam profecta est; ibique, ad Praesepe Domini cum aliis Virginibus enutrita, praeclaris meritis fulgens migravit ad Dominum.

Schorneshemii, prope Moguntiam, sanctae Liobae Virginis, miraculis clarae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Septembris**

**Tertio Kalendas Octobris.**

**xxvj. C**



In monte Gargano venerabilis memoria beati Michaelis Archangeli, quando ipsius nomine ibi consecrata fuit Ecclesia, vili quidem facta schemate, sed caelesti praestans virtute.

Antisiodori sancti Fraternali, Episcopi et Martyris.

In Thracia natalis sanctorum Martyrum Eutychie, Plauti et Heracleae.

In Perside sanctorum Martyrum Dadae, e Saporis Regis consanguineis, Casdoae uxoris, et Gabdelae filii; qui, honoribus exuti ac variis tormentis dilaniati, tandem, post longos carceres, gladio sunt animadversi.

In Armenia sanctarum Virginum Ripsimis et Sociarum Martyrum, sub Tiridate Rege.

In Perside sanctae Gudeliae Martyris, quae, cum plurimos convertisset ad Christum, ac Solem et Ignem adorare nolisset, ideo, sub Sapore Rege, post multa tormenta, cute capitis detracta, ligno affixa, meruit obtinere triumphum.

In Ponte Curvo, apud Aquinum, sancti Grimoaldi, Presbyteri et Confessoris.

In Palaestina sancti Quiriaci Anachoreta.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Septembris**      **Pridie Kalendas Octobris.**      **xxv. D**

In Bethlehem Judae depositio sancti Hieronymi Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, qui, omnium studia litterarum adeptus ac probatorum Monachorum imitator factus, multa haeresum monstra gladio suae doctrinae confodit; demum, cum ad decrepitam usque vixisset aetatem, in pace quievit, sepultusque est ad Praesepe Domini. Ejus corpus, postea Romam delatum, in Basilica sanctae Mariae Majoris conditum fuit.

Romae natalis sancti Francisci Borgiae, Sacerdotis et Confessoris; qui Praepositus Generalis fuit Societatis Jesu, ac vitae asperitate, orationis dono, abdicatis saeculi et recusatis Ecclesiae dignitatibus, vir memorabilis exstitit. Ipsius autem festum sexto Idus Octobris celebratur.

Lexóvii, in Gallia, item natalis sanctae Teresiae a Jesu Infante, ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum; quam, vitae innocentia et simplicitate clarissimam, Pius Undecimus, Pontifex Maximus, sanctarum Virginum albo adscripsit, peculiarem omnium Missionum Patronam declaravit, ejusque festum quinto Nonas Octobris recolendum esse decrevit.

Roma sancti Leopardi Martyris, qui ex Juliani Apostatae domesticis fuit; cui caput amputatum est, et corpus ejus Aquisgranum postea translatum.

Solodori, in Gallia, passio sanctorum Martyrum Victoris et Ursi, ex gloriosa legione Thebaeorum, qui, sub Maximiano

Imperatore, primum diris suppliciis cruciati, sed, caelesti super eos lumine coruscante, ruentibus in terram ministris, erepti; deinde in ignem missi, sed in nullo penitus laesi; novissime gladio consummati sunt.

Placentiae sancti Antonini Martyris, ex eadem legione.

Eodem die sancti Gregorii, Episcopi magnae Armeniae, qui, sub Diocletiano, multa passus est; ac tandem, Constantini Magni Imperatoris tempore, in pace quievit.

Cantuariae, in Anglia, sancti Honorii, Episcopi et Confessoris.

Romae sanctae Sophiae Viduae, matris sanctarum Virginum et Martyrum Fidei, Spei et Caritatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Octobris

**1 Octobris**

**Kalendis Octobris.**

**xxij. A**

Sancti Regimii Episcopi Rhemensis et Confessoris, qui gentem Francorum convertit ad Christum, Clodoveo ipsorum Rege sacro fonte baptismatis, et fidei sacramentis initiato: et cum annos plurimos in Episcopatu explesset, sanctitate et miraculorum virtute conspicuus decessit e vita Idibus Januarii: ejus tamen festivitas hac die recolitur, qua sacrum ipsius corpus postea fuit translatum.

Romae beati Aretae Martyris et aliorum quingentorum quatuor.

Tomis in Ponto sanctorum Martyrum Prisci, Crescentis, et Evagrii.

Ulyssipone in Lusitania sanctorum Martyrum Verissimi, Maximae et Juliae sororum ejus, qui in persecutione Diocletiani passi sunt.

Tornaci sancti Piatonis Presbyteri et Martyris, qui cum beato Quinctino ejusque Sociis ab urbe Roma in Galliam praedicationis causa perrexit, ac postea in persecutione Maximiani consummato martyrio migravit ad Dominum.

Thessalonicae sancti Domnini Martyris, sub eodem

Maximiano.

Urbe Veteri sancti Severi Presbyteri et Confessoris.

In Portu Gandae sancti Bavonis Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Octobris**

**Sexto Nonas Octobris.**

**xxj. B**

Festum sanctorum Angelorum Custodum.

Romae passio sancti Modesti Sardi, Levitae et Martyris; qui, sub Diocletiano Imperatore, equuleo tortus atque igne adustus est. Ipsi vero corpus, Beneventum postea translatum, in Ecclesia suo insignita nomine collocatum fuit.

In territorio Atrebatensi item passio beati Leodegarii, Augustodunensis Episcopi; quem, variis injuriis et diversis suppliciis pro veritate afflictum, Ebroinus, Major domus regiae Theodorici, interfici jussit.

Nicomediae sancti Eleutherii, militis et Martyris, cum aliis innumeris; qui, cum Diocletiani regia incendio conflagrasset et falso hujus criminis essent accusati, omnes, jubente eodem saevissimo Imperatore, acervatim necati sunt. Horum porro alii gladiis obruncabantur, alii cremabantur ignibus, alii in mare praecipitabantur; sed inter eos primus Eleutherius, cum per singula tormenta, diu

cruciatus, validior redderetur, martyrium victoriae suae, ignibus velut aurum examinatus, complevit.

Antiochiae sanctorum Martyrum Primi, Cyrilli et Secundarii.

Eodem die sancti Gerini Martyris, qui frater exstitit beati Leodegarii, Augustodunensis Episcopi, et, jubente ipso Ebroino, lapidibus obrutus est.

Constantmopoli sancti Theophili Monachi, qui, pro defensione sanctarium Imaginum a Leone Isaurico saevissime cesus et in exilium pulsus, migravit ad Dominum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Octobris**

**Quinto Nonas Octobris.**

**vij. E**

Sanctae Teresiae a Jesu Infante, ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum, Virginis, peculiaris omnium Missionum Patronae; cujus dies natalis pridie Kalendas Octobris recensetur.

Romae, ad Ursum pileatum, sancti Candidi Martyris.

Apud antiquos Saxones sanctorum Martyrum duorum Ewaldorum, qui, cum essent Presbyteri et Christum ibi praedicare coepissent, comprehensi sunt a Paganis et occisi; ad quorum corpora noctu lux multa, diu apparens, et ubi

essent et cujus essent meriti, declaravit.

Eodem die sanctorum Martyrum Dionysii, Fausti, Caji, Petri, Pauli et aliorum quatuor, qui primum, sub Decio, multa passi sunt, ac demum, sub Valeriano, ab Aemiliano Prsiede diu tormentis vexati, martyrii palmam meruerunt.

In Africa sancti Maximiani, Episcopi Bagajensis, qui, a Donatistis iterum atque iterum saevissima perpressus, ex alta denique turri praecipitatus est, et pro mortuo derelictus; sed, postmodum a transeuntibus collectus et pia curatione sanatus, catholicam fidem propugnare non destitit, donec, gloria confessionis clarus, quievit in Domino.

Legione, in Hispania, sancti Froilani, ejusdem civitatis Episcopi, monasticae vitae propagandae studio, beneficentia in pauperes, ceterisque virtutibus et miraculis clari.

In dioecesi Namurcensi, apud Belgas, sancti Gerardi Abbatis.

In Palaestina sancti Hesychii Confessoris, qui fuit sancti Hilarionis discipulus et in peregrinatione socius.

Savonae, in Liguria, sanctae Mariae Josephae Rossello, Instituti Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia Fundatricis, quam, caritatis operibus praeclaram, Pius Papa Duodecimus sanctis Virginibus adnumeravit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Octobris**

**Quarto Nonas Octobris.**

**vij. F**

Assisii, in Umbria, natalis sancti Francisci, Levitae et Confessoris; qui trium Ordinum, scilicet Fratrum Minorum, Pauperum Dominarum, ac Fratrum et Sororum de Poenitentia, Fundator exstitit. Ipsius autem vitam, sanctitate ac miraculis plenam, sanctus Bonaventura conscripsit.

Corinthi item natalis sanctorum Crispi et Caji, quorum meminit sanctus Paulus Apostolus ad Corinthios scribens.

Athenis sancti Hierothei, qui fuit discipulus ipsius beati Pauli Apostoli.

Damasci sancti Petri, Episcopi et Martyris; qui, accusatus apud Agarenorum Principem quod fidem Christi doceret, ideo, lingua et manibus pedibusque amputatis, cruci affixus martyrium consummavit.

Alexandriae sanctorum Presbyterorum, et Diaconorum Caji, Fausti, Eusebii, Chaeremonis, Lucii et Sociorum; ex quibus alii, in persecutione Valeriani, Martyres facti sunt, alii, Martyribus servientes, mercedem Martyrum receperunt.

In Aegypto sanctorum Martyrum Marci et Marciani fratrum, et aliorum ferme innumerabilium utriusque sexus atque omnis aetatis; quorum alii post verbera, alii post diversi generis horribiles cruciatus flammis traditi, alii in mare praecipitati, nonnulli capite caesi, plurimi inedia



consumpti, alii patibulis affixi, quidam etiam, capite deorsum verso et pedibus in sublime sublatis, appensi, beatissimam martyrii coronam meruerunt.

Bononiae sancti Petronii, Episcopi et Confessoris; qui doctrina, miraculis et sanctitate claruit.

Lutetiae Parisiorum sanctae Aureae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Octobris**

**Tertio Nonas Octobris.**

**vij. G**

Messanae, in Sicilia, natalis sanctorum Martyrum Placidi Monachi, e beati Benedicti Abbatis discipulis, et ejus fratrum Eutychie et Victorini, ac sororis eorum Flaviae Virginis, itemque Donati, Firmati Diaconi, Fausti et aliorum triginta Monachorum, qui omnes a Manucha pirata, pro Christi fide, necati sunt.

Apud Smyrnam item natalis beati Thraseae, Episcopi Eumeniae, martyrio consummati.

Antisiodori depositio sanctorum germanorum Firmati Diaconi, et Flavianae Virginis.

Treviris sanctorum Martyrum Palmatii et Sociorum; qui, in persecutione Diocletiani, sub Rictiovaro Praeside, martyrium subierunt.

Eodem die passio sanctae Charitinae Virginis, quae, sub Diocletiano Imperatore et Domitio Consulari, ignibus est cruciata et in mare projecta, et, cum inde incolumis evasisset, tandem, manibus et pedibus abscissis dentibusque convulsis, in oratione spiritum emisit.

Ravennae sancti Marcellini, Episcopi et Confessoris.

Valentiae, in Gallia, sancti Apollinaris Episcopi, cujus vita virtutibus fuit illustris, et mors signis ac prodigiis decorata.

Eodem die sancti Attilani, Episcopi Zamorensis, quem beatus Urbanus Papa Secundus in Sanctorum numerum retulit.

Romae sanctae Gallae Viduae, filiae Symmachi Consulis, quae, viro suo defuncto, apud Ecclesiam beati Petri multis annis orationi, eleemosynis, jejuniis aliisque sanctis operibus intenta permansit; cujus felicissimum transitum sanctus Gregorius Papa descripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Octobris**

**Pridie Nonas Octobris.**

**vij. A**

In monasterio Turris, dioecesis Squillacensis, in Calabria, sancti Brunonis Confessoris, qui Ordinis Carthusianorum fuit Institutor.

Laodiceae, in Phrygia, beati Sagaris, Episcopi et Martyris; qui exstitit unus de antiquis Pauli Apostoli discipulis.

Antisiodori sancti Romani, Episcopi et Martyris.

Capuae natalis sanctorum Martyrum Marcelli, Casti, Aemilii et Saturnini.

Treviris commemoratio innumerabilium fere Martyrum, qui, in persecutione Diocletiani, sub Rictiovaro Praeside, ob Christi fidem, vario mortis genere necati sunt.

Agenni, in Gallia, natalis sanctae Fidei, Virginis et Martyris; cujus exemplo beatus Caprasius, ad martyrium animatus, agonem suum tertio decimo Kalendas Novembris feliciter consummavit.

Item sanctae Erotidis Martyris, quae, Christi amore succensa, ignis superavit incendium.

Opitergii, in Venetorum finibus, sancti Magni Episcopi, cujus corpus Venetiis requiescit.

Neapoli, in Campania, depositio sanctae Mariae-Franciscae a Quinque Vulneribus Domini nostri Jesu Christi, Virginis, ex tertio Ordine sancti Francisci, quae, virtutibus et miraculis clara, a Pio Papa Nono sanctis Virginibus adscripta fuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

7 Octobris

Nonis Octobris.

vij. B

Festum sacratissimi Rosarii beatæ Mariæ Virginis; itemque sanctæ Mariæ de Victoria commemoratio, quam sanctus Pius Quintus, Pontifex Maximus, ob insignem victoriam a Christianis bello navali, ejusdem sanctissimæ Dei Genitricis auxilio, hac ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit.

Romæ, via Ardeatina, depositio sancti Marci, Papæ et Confessoris.

In Provincia quæ nuncupatur Augusta Euphratesia, sanctorum Martyrum Sergii et Bacchi, nobilium Romanorum, sub Maximiano Imperatore. Ex his Bacchus tamdiu nervis crudis caesus est, quoadusque, toto corpore discissus, in Christi confessione emitteret spiritum; Sergius vero clavatis cothurnis pedes indutus, et, cum in fide fixus maneret, data sententia, jussus est decollari. Beati autem Sergii nomine locus ubi quiescit, Sergiopolis appellatus est, et, ob praeclara miracula, frequenti Christianorum concursu honoratur.

Romæ sanctorum Martyrum Marcelli et Apuleji, qui prius quidem Simoni mago adhaeserunt; sed, videntes mirabilia quæ per Apostolum Petrum Dominus operabatur, ambo, relicto Simone, se doctrinae Apostolicæ tradiderunt, ac, post passionem Apostolorum, sub Aureliano Consulari, coronam martyrii reportarunt, sepultique sunt non longe ad Urbe.

Item apud Augustam Euphratesiam sanctae Juliae Virginis, quae, sub Marciano Praeside, martyrium consummavit.

Patavii sanctae Justinae, Virginis et Martyris; quae, a beato Prosdocimo, sancti Petri discipulo, baptizata, et, cum in fide Christi constanter persisteret, Maximi Praesidis jussu, transverberata gladio, migravit ad Dominum.

Apud Bituricas, in Aquitania, sancti Augusti Presbyteri et Confessoris.

In pago Rhemensi sancti Helani Presbyteri.

In Suecia Translatio corporis sanctae Birgittae Viduae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Octobris**

**Octavo Idus Octobris.**

**vij. C**

Sanctae Birgittae Viduae, cujus dies natalis decimo Kalendas Augusti, ac Translatio Nonis Octobris recensetur.

Eodem die natalis beati Simeonis senis, qui in Evangelio Dominum Jesum, praesentatum in Templo, suis in ulnis accepisse ac de illo prophetasse legitur.

Laodiceae, in Phrygia, sancti Artemonis Presbyteri, qui per ignem, sub Diocletiano, martyrii coronam accepit.  
Thessalonicae sancti Demetrii Proconsulis, qui, cum

plurimos ad Christi fidem perduceret, ideo, Maximiani Imperatoris jussu lanceis confossus, martyrium consummavit.

Ibidem sancti Nestoris Martyris.

Hispali, in Hispania, sancti Petri Martyris.

Caesareae, in Palaestina, passio sanctae Reparatae, Virginis et Martyris; quae, cum nollet idolis sacrificare, sub Decio Imperatore, variis tormentorum generibus cruciatur, ac demum gladio percutitur. Ipsius autem anima, in columbae specie, de corpore egredi caelumque conscendere visa est.

In territorio Laudunensi natalis sanctae Benedictae, Virginis et Martyris.

Anconae sanctarum Palatiatis et Laurentiae, quae, in persecutione Diocletiani, sub Dione Praeside, in exilium deportatae, laboribus et aerumnis confectae sunt.

Rotomagi sancti Evodii, Episcopi et Confessoris.

Hierosolymis sanctae Pelagiae, cognomento Poenitentis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Octobris**

**Septimo Idus Octobris.**

**vij. D**

Romae sancti Joannis Leonardi Confessoris, Fundatoris

Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, laboribus et miraculis clari, cuius opera Missiones a Propaganda Fide institutae sunt.

Lutetiae Parisiorum natalis sanctorum Martyrum Dionysii Areopagitae Episcopi, Rustici Presbyteri, et Eleutherii Diaconi. Ex his Dionysius, ab Apostolo Paulo baptizatus, primus Atheniensium Episcopus ordinatus est; deinde Romam venit, atque inde a beato Clemente, Romano Pontifice, in Gallias praedicandi gratia directus est, et ad praefatam urbem devenit; ibique, cum per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosecutus esset, tandem, a Praefecto Fescennino, post gravissima tormentorum genera, una cum Sociis, gladio animadversus, martyrium complevit.

Eodem die memoria sancti Abrahae, Patriarchae et omnium credentium Patris.

Apud Cassinum sancti Deusdedit Abbatis, qui, a Sicardo tyranno in carcerem trusus, illic, fame et aerumnis confectus, reddidit spiritum.

Apud Juliam, in territorio Parmensi, via Claudia, sancti Domnini Martyris; qui, sub Maximiano Imperatore, cum vellet persecutionis rabiem declinare, a persequentibus est comprehensus, et, gladio transverberatus, gloriose occubuit.

In Hannonia sancti Gisleni, Episcopi et Confessoris; qui, relicto Episcopatu, Monachi vitam in monasterio a se constructo exercuit, et multis virtutibus claruit.

Valentiae, in Hispania Tarraconensi, sancti Ludovici

Bertrandi, ex Ordine Praedicatorum, Confessoris; qui, apostolico spiritu clarus, Evangelium quod Americanis praedicaverat, vitae innocentia multisque editis miraculis confirmavit.

Hierosolymis sanctorum Andronici et Athanasiae conjugis.

Antiochiae sanctae Publiae Abbatissae, quae, transeunte Juliano Apostata, Davidicum illud cum suis Virginibus canens: "Simulacra Gentium argentum et aurum", et; "Similes illis fiant qui faciunt ea"; Imperatoris jussu, alapis caesa est, et graviter objurgata.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Octobris**

**Sexto Idus Octobris.**

**vij. E**

Sancti Francisci Borgiae, Sacerdotis e Societate Jesu et Confessoris, cujus dies natalis pridie Kalendas Octobris recensetur.

Apud Septam, in Mauritania Tingitana, passio sanctorum septem Martyrum, ex Ordine Minorum, scilicet Danielis, Samuelis, Angeli, Leonis, Nicolai, Hugolini et Domni; qui, cum essent omnes praeter Domnum Sacerdotes, ibidem, ob Evangelii praedicationem et Mahumeticae confutationem sectae, a Saracenis contumelias, vincula et flagella perpassi, demum, capitibus abscissis, martyrii palmam adepti sunt.

Coloniae Agrippinae sancti Gereonis Martyris, cum aliis



trecentis decem et octo; qui pro vera pietate, in persecutione Maximiani, gladiis patientes colla subdiderunt.

In territorio ejusdem urbis sanctorum Victoris et Sociorum Martyrum.

Bonnae, in Germania, sanctorum Martyrum Cassii et Florentii, cum aliis plurimis.

Nicomediae sanctorum Martyrum Eulampii, et sororis Eulampiae Virginis. Haec porro, cum audisset pro Christo fratrem torqueri, in mediam turbam exsiluit, et, fratrem amplexata, huic sociam se adjunxit; atque ambo, coniecti in ollam ferventis olei, sed nulla ex parte laesi, tandem, una cum aliis ducentis, qui eo miraculo permoti crediderant in Christum, capitis obruncatione martyrium compleverunt.

In Creta insula beati Pinyti, inter Episcopos nobilissimi. Hic, Gnosiae urbis Episcopus, sub Marco Antonino Vero et Lucio Aurelio Commodo floruit, et in scriptis suis, velut in quodam speculo, viventem sui reliquit imaginem.

Eboraci, in Anglia, sancti Paulini Episcopi, qui fuit beati Gregorii Papae discipulus; et, una cum aliis, ad praedicandum Evangelium illuc ab eo missus, Edwinum Regem ejusque populum ad Christi fidem convertit.

Populonii, in Tuscia, sancti Cerbonii, Episcopi et Confessoris, qui (ut sanctus Gregorius Papa refert) in vita et morte miraculis claruit.

Veronae sancti Cerbonii Episcopi.

Capuae sancti Paulini Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Octobris**

**Quinto Idus Octobris.**

**xiv. F**

Festum Maternitatis beatae Mariae Virginis.

Tarsi, in Cilicia, sanctarum mulierum Zenaidis et Philonillae sororum, quae beati Pauli Apostoli consanguineae et in fide fuerunt discipulae.

In pago Vilcassino, in Gallia, passio sanctorum Martyrum Nicasii, qui erat Rotomagensis Episcopus, Quirini Presbyteri, Scubiculi Diaconi, et Pientiae Virginis, sub Praeside Fescennino.

Vesontione, in Galliis, sancti Germani, Episcopi et Martyris.

Item passio sanctorum Anastasii Presbyteri, Placidi, Genesii et Sociorum.

Tarsi, in Cilicia, natalis sanctorum Martyrum Tharaci, Probi et Andronici; qui, in persecutione Diocletiani, longo tempore carceris squalore afflicti, et tertio diversis tormentis et suppliciis examinati, tandem, in confessione Christi, abscissis cervicibus, triumphum gloriae sunt adepti.

In Thebaide sancti Sarmatae, qui fuit discipulus beati Antonii Abbatis, et a Saracenis pro Christo necatus est.

Ucetiae, in Gallia Narbonensi, sancti Firmini, Episcopi et Confessoris.

Calotii, in dioecesi Astensi, olim Papiensi, sancti Alexandri Sauli, e Clericorum Regularium sancti Pauli Congregatione, Episcopi et Confessoris; quem, genere, virtutibus, doctrina et miraculis clarum, Pius Decimus, Pontifex Maximus, Sanctorum fastis adscripsit.

In monasterio Achadh-boensi, in Hibernia, sancti Canici, Presbyteri et Abbatis.

Lyrae, in Belgio, depositio sancti Gumhari Confessoris.

Apud Rhedones, in Gallia, sancti Aemiliani Confessoris.

Veronae sanctae Placidiae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Octobris**

**Quarto Idus Octobris.**

**xij. G**

Romae sanctorum Martyrum Evagrii, Prisciani, et Sociorum.

In Africa sanctorum Confessorum et Martyrum quatuor millium nongentorum sexaginta sex, in persecutione

Wandalica, sub Hunnerico, Rege Ariano. Hi, cum essent partim Episcopi Ecclesiarum Dei, partim Presbyteri et Diaconi, associatis sibi turbis fidelium populorum, pro defensione catholicae veritatis in horribilis eremi exsilium trusi sunt; ex quibus plurimi, dum crudeliter a Mauris ducerentur, hastilium cuspidibus impulsus ad currendum et lapidibus tungi, alii, ligatis pedibus, velut cadavera per dura et aspera loca tracti et singulis membris discerpti, ad extremum, varie excruciiati, martyrium celebrarunt. Erant inter eos praecipui Sacerdotes Domini, Felix et Cyprianus Episcopi.

Ravennae, via Lauretina, natalis sancti Edistii Martyris.

In Lycia sanctae Dominae Martyris, sub Diocletiano Imperatore.

Celenae, in Pannonia, sancti Maximiliani, Episcopi Laureacensis.

Eboraci, in Anglia, sancti Walfridi, Episcopi et Confessoris.

Mediolani sancti Monae Episcopi, qui, cum de Episcopo eligendo ageretur, caelesti lumine circumfusus, eo signo mirabiliter in Pontificem illius Ecclesiae est assumptus.

Veronae sancti Salvini Episcopi.

In Syria sancti Eustachii, Presbyteri et Confessoris.

Asculi, in Piceno, sancti Seraphini Confessoris, ex Ordine Minorum Capuccinorum, vitae sanctimonia et humilitate

conspicui; quem Clemens Decimus tertius, Pontifex Maximus, Sanctorum fastis adscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Octobris**

**Tertio Idus Octobris.**

**xij. A**

Sancti Eduardi, Regis Anglorum et Confessoris, qui Nonis Januarii obdormivit in Domino, sed hac die, ob Translationem corporis ejus, potissimum colitur.

Apud Troadem, Asiae minoris urbem, natalis sancti Carpi, qui fuit discipulus beati Pauli Apostoli.

Cordubae, in Hispania, item natalis sanctorum Martyrum Fausti, Januarii et Martialis; qui, primo equulei poena cruciati, deinde, superciliis rasis, dentibus evulsis, auribus quoque et naribus praecisis, ignis passione martyrium consummarunt.

Thessalonicae sancti Florentii Martyris, qui, post varia tormenta, igne combustus est.

Apud Stokeraviam, in Austria, sancti Colmanni Martyris.

Antiochiae sancti Theophili Episcopi, qui, sextus post beatum Petrum Apostolum, ejusdem Ecclesiae Pontificatum tenuit.

Turonis, in Gallia, sancti Venantii, Abbatis et Confessoris.

Apud Sublacum, in Latio, sanctae Chelidoniae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Octobris**

**Pridie Idus Octobris.**

**xj. B**

Romae, via Aurelia, natalis beati Callisti Primi, Papae et Martyris; qui, Alexandri Imperatoris jussu, diutius fame in carcere cruciatus, et quotidie fustibus caesus, tandem, praecipitatus e fenestra domus in qua custodiebatur, atque in puteum demersus, victoriae triumphum promeruit.

Arimini sancti Gaudentii, Episcopi et Martyris.

Caesareae, in Palaestina, sanctorum Carponii, Evaristi et Prisciani, fratrum beatae Fortunatae, qui, gladio jugulati, pariter martyrii coronam perceperunt.

Item sanctorum Saturnini et Lupi.

Caesareae, in Palaestina, sanctae Fortunatae, Virginis et Martyris, ac praedictorum Martyrum Carponii, Evaristi et Prisciani sororis; quae, in persecutione Diocletiani, post equuleum, ignes, bestias et alia tormenta superata, spiritum Deo reddidit. Ipsius corpus postea Neapolim, in Campania, delatum fuit.

Tuderti, in Umbria, sancti Fortunati Episcopi, qui (ut beatus Gregorius Papa refert) in immundis spiritibus effugandis

immensae gratia virtutis emicuit.

Herbipoli, in Germania, sancti Burchardi, qui fuit primus illius civitatis Episcopus.

Brugis Flandrorum sancti Donatiani, Rhemensis Episcopi.

Treviris sancti Rustici Episcopi.

Lugduni, in Gallia, sancti Justi, Episcopi et Confessoris, mirae sanctitatis et prophetici spiritus viri; qui, Episcopatu dimisso, in eremum Aegypti, una cum Lectore suo Viatore, secessit, ibique, cum aliquot annos proximam Angelis egisset vitam, et dignus suorum laborum finis advenisset, coronam justitiae percepturus migravit ad Dominum. Ipsi sanctum corpus, una cum ossibus beati Viatoris, qui ejusdem Episcopi fuerat minister, Lugdunum postea quarto Nonas Septembris delatum fuit.

Eodem die depositio beati Dominici Loricati.

Arpini, in Latio, sancti Bernardi Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Octobris**

**Idibus Octobris.**

**x. C**

Albae, in Hispania, sanctae Teresiae Virginis, quae Fratrum ac Sororum Ordinis Carmelitarum arctioris observantiae mater exstitit et magistra.

Cracoviae, in Polonia, natalis sanctae Hedwigis Viduae, Polonorum Ducissae, quae, pauperum obsequio dedita, etiam miraculis claruit; et a Clemente Quarto, Pontifice Maximo, Sanctorum numero adscripta est. Ipsius autem festivitas sequenti die celebratur.

Romae, via Aurelia, sancti Fortunati Martyris.

In Borussia sancti Brunonis, Episcopi Ruthenorum et Martyris; qui, Evangelium in ea regione praedicans, ab impiis tentus est, ac, manibus pedibusque praecisis, capite truncatus.

Apud Coloniam Agrippinam natalis sanctorum trecentorum Martyrum, qui, in Maximiani persecutione, cursum sui agonis compleverunt.

Carthagine sancti Agilei Martyris, in cujus die natali sanctus Augustinus tractatum de ipso ad populum habuit. Lugduni, in Gallia, sancti Antiochi Episcopi, qui, strenue administrato Pontificii culmine ad quod assumptus fuerat, regnum caeleste adeptus est.

Treviris sancti Severi, Episcopi et Confessoris.

Argentorati sanctae Aureliae Virginis.

In Germania sanctae Theclae, Abbatissae et Virginis, quae, monasteriis Kitzingae et Ochsenfurti praeposita, multis cumulata meritis in caelum migravit.



Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Octobris**                      **Decimo septimo Kalendas**                      **ix. D**  
**Novembris.**

Sanctae Hedwigis Viduae, Polonorum Ducissae, quae pridie hujus diei obdormivit in Domino.

In monasterio Dervensi, in Gallia, sancti Bercharii, Abbatis et Martyris.

In Africa sanctorum Martyrum ducentorum septuaginta, pariter coronatorum.

Ibidem sanctorum Martiniani et Saturiani, cum duobus eorum fratribus; qui, tempore Wandalicae persecutionis, sub Rege Ariano Genserico, cum servi essent cujusdam Wandali, et a sancta Maxima Virgine, ipsorum conserva, ad Christi fidem conversi fuissent, omnes ab haeretico illorum domino, pro constantia fidei catholicae, primum nodosis fustibus caesi sunt et usque ad ossa laniati. Sed, cum talia multo tempore paterentur, et sequenti die nihilominus redderentur semper incolumes, exsilio tandem relegantur; ubi, cum multos barbarorum ad Christi convertissent fidem, et a Romano Pontifice Presbyterum aliosque ministros, qui eos baptizarent, obtinuissent, novissime, vinctis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum jussi sunt pariter interire. Maxima vero, post multos superatos agones divinitus liberata, in monasterio, multarum Virginum Mater, sancto fine quievit.

Item sanctorum Saturnini, Nerei et aliorum trecentorum sexaginta quinque Martyrum.

Coloniae Agrippinae sancti Eliphii Martyris, sub Juliano Apostata.

In territorio Bituricensi sancti Ambrosii, Episcopi Caturcensis.

Moguntiae sancti Lulli, Episcopi et Confessoris.

Treviris sancti Florentini Episcopi.

Apud Arbonam, in Germania, sancti Galli Abbatis, qui fuit discipulus beati Columbani.

Muri, in Lucania, sancti Gerardi Majella Confessoris, Laici professi Congregationis a sanctissimo Redemptore nuncupatae, quem, miraculis clarum, Pius Decimus, Pontifex Maximus, Sanctorum albo accensuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Octobris**

**Sextodecimo Kalendas  
Novembris.**

**vij. E**

Paredii, in diocesi Augustodunensi, sanctae Margaritae-Mariae Alacoque, quae, Ordinem Visitationis beatae Mariae Virginis professa, eximiis in devotione erga sacratissimum

Cor Jesu propaganda et publico ejusdem cultu provehendo meritis excelluit; atque in sanctarum Virginum album a Benedicto Papa Decimo quinto relata fuit.

Antiochiae natalis sancti Heronis, qui fuit discipulus beati Ignatii; atque, post eum factus Episcopus, viam magistri pius imitator est secutus, et pro commendato sibi grege amator Christi occubuit.

Eodem die passio sanctorum Victoris, Alexandri et Mariani.

In Perside sanctae Mameltae Martyris, quae, a cultu idolorum ad fidem Angelico monitu conversa, a Gentilibus lapidata est et in profundum lacum demersa.

Arausicae, in Galliis, sancti Florentii Episcopi, qui, multis clarus virtutibus, quievit in pace.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Octobris**

Quintodecimo Kalendas  
Novembris.

vij. F

In Bithynia natalis beati Lucae Evangelistae, qui, multa passus pro Christi nomine, obiit Spiritu Sancto plenus. Ipsius autem ossa postea Constantinopolim translata sunt, et inde Patavium delata.

Romae item natalis sancti Pauli a Cruce, Presbyteri et

Confessoris; qui Congregationis a Cruce et Passione Domini nostri Jesu Christi nuncupatae Institutior fuit. Ipsum vero, mira innocentia ac poenitentia conspicuum et singulari in Christum crucifixum caritate incensum, Pius Papa Nonus fastis Sanctorum adjunxit, et ejusdem festivitatem quarto Kalendas Maji recolendam indixit.

Arenis, in Hispania, natalis pariter sancti Petri de Alcantara, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris; quem, propter admirabilem poenitentiam multaque miracula, Clemens Nonus, Pontifex Maximus, Sanctorum numero adscripsit. Ejus autem festum sequenti die celebratur.

Antiochiae sancti Asclepiadis Episcopi, qui fuit unus ex praeclaro illorum Martyrum numero, qui gloriose sub Macrino passi sunt.

Neocaesareae, in Ponto, sancti Athenodori Episcopi, qui fuit frater sancti Gregorii Thaumaturgi; et, doctrina clarus, in persecutione Aureliani, martyrium consummavit.

Sinomovici, in territorio Bellovacensi, sancti Justi Martyris, qui adhuc puer, in persecutione Diocletiani Imperatoris, sub Rictiovaro Praeside, capite amputatus est.

Romae sanctae Tryphoniae, quae Decii Caesaris quondam uxor ac sanctae Virginis et Martyris Cyrillae mater exstitit; cujus corpus in crypta, juxta sanctum Hippolytum, sepultum est.

Apud Auriesville, in statu Neo-Eboracensi, sanctorum Martyrum e Societate Jesu, Isaaci Jogues, Sacerdotis, et

Joannis de La Lande, Coadjutoris temporalis, qui hac et sequenti die ab Iroquensibus dire necati sunt, eodem loco ubi, paucis ante annis, Renatus Goupil, et ipse Coadjutor temporalis, martyrii palmam consecutus fuerat.

In finibus Edessenae regionis, in Mesopotamia, commemoratio sancti Juliani Eremitae, cognomento Sabae, de quo agitur etiam sextodecimo Kalendas Februarii.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Octobris**

Quartodecimo Kalendas  
Novembris.

vj. G

Sancti Petri de Alcantara, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, qui migravit in caelum pridie hujus diei.

Romae natalis sanctorum Martyrum Ptolomaei et Lucii, sub Marco Antonino. Horum prior (ut scribit Justinus Martyr), cum impudicam mulierem ad Christi convertisset fidem, et castitatem colere docuisset, ideo, ab impuro viro apud Praefectum Urbicium accusatus, multo tempore squalore carceris maceratus est, et ad ultimum, cum de Christi magisterio publica confessione testaretur, jussus est duc ad mortem; Lucius quoque, cum Urbicii sententiam improbaret et se Christianum libere fateretur, similem sententiam excepit; quibus et alius tertius adjunctus est, qui etiam eodem supplicio damnatus fuit.

Antiochiae sanctorum Martyrum Beronici, Pelagiae Virginis, et aliorum quadraginta novem.

In Aegypto sancti Vari militis, qui, sub Maximino Imperatore, dum sanctos septem Monachos in carcere detentos visitaret atque reficeret, voluit, uno ex ipsis defuncto, in ejus locum subrogari; atque ita cum illis, saevissima passus, martyrii palmam adeptus est.

Ebroicis, in Gallia, sancti Aquilini, Episcopi et Confessoris.

In territorio Aurelianensi depositio sancti Verani Episcopi.

Apud Salernum sancti Eusterii Episcopi.

In monasterio Silvae Nectensis, in Hibernia, sancti Ethbini Abbatis.

Oxonii, in Anglia, sanctae Fredeswindae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Octobris**

**Tertiodecimo Kalendas  
Novembris.**

**v. A**

Sancti Joannis Cantii, Presbyteri et Confessoris, qui nono Kalendas Januarii obdormivit in Domino.

In Aviensi civitate, prope Aquilam, in Vestinis, natalis beati Maximi, Levitae et Martyris; qui, patiendi desiderio,

inquirentibus se persecutoribus palam ostendit, et, post responsionis constantiam, equiileo suspensus ac tortus, deinde fustibus caesus, ad ultimum, e sublimi loco praecipitatus, occubuit.

Agenni, in Gallia, sancti Caprasii Martyris, qui, cum rabiem persecutionis declinans lateret in spelunca, tandem, audiens qualiter beata Fides Virgo pro Christo agonizaret, indeque animatus ad tolerantiam passionum, oravit ad Dominum, ut, si eum gloria martyrii dignum judicaret, ex lapide speluncae limpidissima aqua manaret; quod cum Dominus praestitisset, securus ad aream certaminis properavit, et palmam martyrii, sub Maximiano Imperatore, fortiter dimicando promeruit.

Antiochiae sancti Artemii, Ducis Augustalis, qui, sub Constantino Magno praelaris militiae honoribus functus, a Juliano Apostata, quem saevitiae in Christianos arguerat, fustibus caedi, aliisque tormentis affligi, ac demum capite truncari jubetur.

Constantinopoli sancti Andreae Cretensis Monachi, qui ob cultum sacrarum Imaginum, sub Constantino Copronymo, saepius verberatus, tandem, amputato altero pede, reddidit spiritum.

Coloniae Agrippinae passio sanctarum Virginum Marthae et Saulae, cum aliis pluribus.

Apud Nabantiam, in Lusitania, sanctae Irenes, Virginis et Martyris; cujus corpus honorifice sepultum fuit in oppido Scalabi, quod ipsius Sanctae nomine insignitum inde permansit.

Alsontiae, in territorio Rhemensi, sancti Sindulphi, Presbyteri et Confessoris.

Apud Mindam, in Germania, Translatio sancti Feliciani, Episcopi Fulginatis et Martyris; cujus ibi deposita fuit sacrarum pars reliquiarum, quae in Germaniam advectae sunt ex Umbriae civitate Fulgineo, ubi ipse nono Kalendas Februarii passus quondam fuerat.

Lutetiae Parisiorum item Translatio sanctorum Martyrum Georgii Diaconi, et Aurelii, ex urbe Hispaniae Corduba, in qua olim, una cum aliis tribus Sociis, ambo martyrium compleverant sexto Kalendas Augusti.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Octobris**

**Duodecimo Kalendas  
Novembris.**

**iv. B**

In Cypro natalis sancti Hilarionis Abbatis, cujus vitam, virtutibus atque miraculis plenam, sanctus Hieronymus scripsit.

Apud Coloniam Agrippinam item natalis sanctarum Ursulae et Sociarum ejus; quae, pro Christiana religione et virginitatis constantia ab Hunnis interfectae, martyrio vitam consummarunt, earumque plurima corpora fuerunt Coloniae condita.



Apud Ostia Tiberina sancti Asterii, Presbyteri et Martyris; qui (ut in passione beati Callisti Papae legitur) sub Alexandro Imperatore passus est.

Nicomediae natalis sanctorum Dasii, Zotici, Caji et aliorum duodecim militum; qui, post diversa tormenta, in mare demersi sunt.

Lugduni, in Gallia, sancti Viatoris, qui exstitit minister beati Justi, Lugdunensis Episcopi.

Maroniae, prope Antiochiam, in Syria, sancti Malchi Monachi.

In castro Laudunensi sanctae Cilinae, matris beati Remigii, Episcopi Rhemensis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Octobris**

**Undecimo Kalendas  
Novembris.**

**iiij. C**

Hierosolymis sanctae Mariae Salome, matris sanctorum Jacobi et Joannis Apostolorum, quae in Evangelio legitur circa Domini sepulturam sollicita.

Item Hierosolymis beati Marci Episcopi, clarissimi et doctissimi viri, qui primus ex Gentibus Ecclesiam Hierosolymorum suscepit regendam, ac, non multo post, sub Antonino Imperatore, martyrii meruit palmam.

Hadrianopoli, in Thracia, natalis sanctorum Martyrum Philippi Episcopi, Severi Presbyteri, Eusebii et Hermetis; qui, sub Juliano Apostata, post carceres et flagella, incendio cremati sunt.

Item sanctorum Martyrum Alexandri Episcopi, Heraclii militis, et Sociorum.

Apud Firmum, in Piceno, natalis sancti Philippi, Episcopi et Martyris.

Apud Coloniam Agrippinam sanctae Cordulae, quae, cum esset una ex sodalibus sanctae Ursulae, atque aliarum suppliciis et caedibus perterrita se occultasset, postridie, ejus rei poenitens, se ultro patefecit Hunnis, et, novissima omnium, martyrii coronam accepit.

Oscae, in Hispania, sanctarum Virginum Nunilonis et Alodiae sororum, quae, a Saracenis ob fidei confessionem capitali sententia punitae, martyrium consummarunt.

Hierapoli, in Phrygia, sancti Abercii Episcopi, qui sub Marco Antonino Imperatore claruit.

Rotomagi sancti Melanii Episcopi, qui, a sancto Stephano Papa ordinatus, illuc ad praedicandum Evangelium missus est.

In Tuscia sancti Donati Scoti, Episcopi Faesulani.

Veronae sancti Verecundi, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Octobris**    **Decimo Kalendas Novembris.**    **ij. D**

Apud Villackum, in Pannonia, natalis sancti Joannis de Capistrano, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, vitae sanctitate ac fidei catholicae propagandae zelo illustris; qui Taurunensem arcem, validissimo Turcarum exercitu profligato, suis precibus et miraculis ab obsidione liberavit. Ejus tamen festivitas quinto Kalendas Aprilis recolitur.

Antiochiae item natalis sancti Theodori Presbyteri, qui, in persecutione impii Juliani comprehensus, et, post equulei poenam et multos ac durissimos cruciatus, lampadibus etiam circa latera appositis adustus, tandem, cum in confessione Christi persisteret, gladii occisione martyrium consummavit.

Ad fundum Ursonianum, prope Gades, in Hispania, sanctorum Martyrum Servandi et Germani, qui, in persecutione Diocletiani, sub Viatore Vicario, post verbera, squalorem carceris, famis ac sitis injuriam, et longissimi itineris laborem, quem pertulerunt ferro onusti, novissime martyrii sui cursum, caesis cervicibus, impleverunt; ex quibus Germanus Emeritae, Servandus autem Hispali conditus est.

Constantinopoli sancti Ignatii Episcopi, qui, cum Bardam Caesarem ob repudiatam uxorem arguisset, ab eo multis injuriis affectus est, et in exilium pulsus; sed, a sancto Nicolao, Romano Pontifice, restitutus, tandem in pace quievit.

Burdigalae sancti Severini, Episcopi Coloniensis et Confessoris.

Rotomagi sancti Romani Episcopi.

Apud Salernum sancti Veri Episcopi.

In territorio Ambianensi sancti Domitii Presbyteri.

In pago Pictaviensi sancti Benedicti Confessoris.

Mantuae Beati Joannis Boni, ex Eremitarum sancti Augustini Ordine, Confessoris; cujus praeclaram vitam sanctus Antoninus conscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Octobris**      **Nono Kalendas Novembris.**    **j. E**

Festum sancti Raphaelis Archangeli, cujus dignitas ac beneficia in sacro Tobiae libro celebrantur.

Venusiae, in Apulia, natalis sanctorum Martyrum Felicis,

Episcopi Africani; Audacti et Januarii, Presbyterorum; Fortunati et Septimi, Lectorum. Hi omnes, tempore Diocletiani, a Magdelliano Procuratore multis diu vinculis et carceribus in Africa et Sicilia macerati sunt, et, cum Felix sacros Libros juxta ipsius Imperatoris edictum tradere nullatenus voluisset, gladii tandem occisione consummati sunt.

Tungris, in Belgio, sancti Evergisli, Episcopi Coloniensis et Martyris; qui, ob pastoralis officii curam illuc profectus, ibidem, dum nocte solus ad monasterium sanctissimae Genitricis Dei Mariae oraturus pergeret, a latronibus sagitta percussus occubuit.

In civitate Nagran, apud Homeritas, in Arabia, passio sanctorum Aetae, et Sociorum ejus trecentorum et quadraginta, tempore Justini Imperatoris, sub Dunaan, Judaeo tyranno. Post eos Christiana mulier incendio tradita est; cujus filius annorum quinque, cum Christum balbutiendo confiteretur, nec blanditiis nec minis retineri posset, in ignem ubi mater ardebat, se praecipitem dedit.

Constantinopoli sancti Procli Episcopi.

In insula Sargiensi sancti Maglorii Episcopi, qui ibidem, dimisso Episcopali officio, quod erga sparsos in Armorica Britannos per triennium exercuerat, monasterium construxit, in quo sancte reliquum vitae tempus exegit; cujus corpus Lutetiam Parisiorum postea translatum fuit.

In Monasterio Fontis Frigidi, dioecesis Carcassonensis, in Gallia, sancti Antonii Mariae Claret, olim Archiepiscopi

Cubani, Fundatoris Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis beatae Mariae Virginis, animarum zelo et mansuetudine praeclari, quem Pius Duodecimus, Pontifex Maximus, Sanctorum fastis adscripsit.

In monasterio Durini, in Gallia, sancti Martini, Diaconi et Abbatis, cujus corpus inde ad Vertavum monasterium delatum est.

In Campania sancti Marci Solitarii, cujus praeclara opera sanctus Gregorius Papa descripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Octobris**

**Octavo Kalendas Novembris. \*. F**

Romae sanctorum Martyrum Chrysanthi et Dariae uxoris, qui, post multas, quas sub Celerino Praefecto pro Christo sustinuerunt, passiones, a Numeriano Imperatore jussi sunt via Salaria in Arenario deponi, atque viventes illic terra et lapidibus obrui.

Ibidem natalis sancti Marcellini, Papae et Martyris; qui, sub Maximiano, pro fide Christi, una cum Claudio, Cyrino et Antonino, capite truncatus est. Quo tempore ita magna fuit persecutio, ut decem et septem millia Christianorum, intra unum mensem, martyrio coronarentur. Ipsius tamen sancti Marcellini festum, una cum festo sancti Cleti, Papae et Martyris, sexto Kalendas Maji celebratur.

Petragoricis, in Gallia, sancti Frontonis, qui, a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, cum Georgio Presbytero magnam illius gentis multitudinem convertit ad Christum, et, miraculis clarus, in pace quievit.

Romae natalis sanctorum quadraginta sex militum, qui, simul baptizati a sancto Dionysio Papa, mox Claudii Imperatoris jussu decollati sunt, ac via Salaria sepulti; ubi et alii Martyres centum viginti et unus positi sunt, inter quos fuerunt quatuor milites Christi, scilicet Theodosius, Lucius, Marcus et Petrus.

Turribus, in Sardinia, sanctorum Martyrum Proti Presbyteri, et Januarii Diaconi, qui, a sancto Cajo Papa ad eam insulam missi, ibidem, tempore Diocletiani, sub Barbaro Praeside, consummati sunt.

Constantinopoli passio sanctorum Martyrii Subdiaconi, et Marciani Cantoris, qui ab haereticis, sub Constantio Imperatore, necati sunt.

Suessione, in Galliis, sanctorum Martyrum Crispini et Crispiniani, nobilium Romanorum, qui, in persecutione Diocletiani, sub Rictiovaro Praeside, post immania tormenta gladio trucidati, coronam martyrii sunt consecuti; quorum corpora postea Romam delata fuerunt, atque in Ecclesia sancti Laurentii in Pane et Perna honorifice tumulata.

Florentiae passio beati Miniatis militis, qui, sub Decio Principe, pro fide Christi egregie certans, nobili martyrio coronatur.

Brixiae natalis sancti Gaudentii Episcopi, eruditione et sanctitate conspicui.

Gavalis, in Gallia, sancti Hilarii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Octobris**      **Septimo Kalendas Novembris. xxix. G**

Romae sancti Evaristi, Papae et Martyris, qui Dei Ecclesiam, sub Hadriano Imperatore, suo sanguine purpuravit.

In Africa sanctorum Martyrum Rogatiani Presbyteri, et Felicissimi, qui, in persecutione Valeriani et Gallieni, illustri martyrio coronati sunt; de quibus etiam scribit sanctus Cyprianus in epistola ad Confessores.

Nicomediae sanctorum Martyrum Luciani, Florii et Sociorum.

Narbone, in Gallia, sancti Rustici, Episcopi et Confessoris; qui claruit temporibus Valentiniani et Leonis Imperatorum.

Apud Salernum sancti Gaudiosi Episcopi.

Papiae sancti Fulci Episcopi.



Item sancti Quadragesimi Subdiaconi, qui et mortuum resuscitavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Octobris**      **Sexto Kalendas Novembris.**    **xxviij.** A

Vigilia sanctorum Apostolorum Simonis et Judae.

Abulae, in Hispania, passio sanctorum Vincentii, Sabinae et Christetae. Hi primum in equuleo adeo sunt extenti, ut omnes membrorum compages laxarentur; deinde capita eorum, lapidibus superposita, usque ad cerebri excussionem validis vectibus sunt contusa, atque ita ipsi martyrium compleverunt, sub Praeide Daciano.

Apud castrum Tyle, in Gallia, sancti Florentii Martyris.

In Cappadocia sanctarum Martyrum Capitolinae, ejusque ancillae Erotheidis, quae sub Diocletiano sunt passae.

Apud Indos sancti Frumentii Episcopi, qui, primum ibi captivus, deinde, Episcopus a sancto Athanasio ordinatus, Evangelium in ea provincia propagavit.

Neapoli, in Campania, sancti Gaudiosi, Episcopi Africani, qui ob Wandalorum persecutionem venit in Campaniam, et, in monasterio apud eam urbem, sancto fine quievit.

In Aethiopia sancti Elesbaan Regis, qui, Christi hostibus expugnatis, ac tempore Justini Imperatoris, misso regio diademate Hierosolymam, monasticam vitam, ut voverat, agens, migravit ad Dominum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Octobris**

**Quinto Kalendas Novembris. xxvij. B**

In Perside natalis beatorum Apostolorum Simonis Chananaei, et Thaddaei, qui et Judas dicitur. Ex ipsis autem Simon in Aegypto, Thaddaeus in Mesopotamia Evangelium praedicavit; deinde, in Persidem simul ingressi, ibi, cum innumeram gentis illius multitudinem Christo subdidissent, martyrium consummarunt.

Romae sanctorum Martyrum Anastasiae senioris Virginis, et Cyrilli. Ipsa Virgo, in persecutione Valeriani, sub Probo Praefecto, vinculis constricta, colaphis caesa, igne et verberibus est cruciata, et, cum in confessione Christi permaneret immobilis, tandem, abscissis mamillis, evulsis unguibus, dentibus comminutis, manibus pedibusque praecisis, truncata capite, tot passionum ornata monilibus migravit ad Sponsum; Cyrillus autem, ei petenti aquam propinans, martyrium pro mercede accepit.

Item Romae sanctae Cyrillae Virginis, quae filia exstitit sanctae Tryphoniae, et, sub Claudio Principe, pro Christo jugulata est.

Apud Comum sancti Fidelis Martyris, sub Maximiano Imperatore.

Moguntiae sancti Ferrutii Martyris.

Meldis, in Gallia, sancti Faronis, Episcopi et Confessoris.

Vercellis sancti Honorati Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Octobris**      **Quarto Kalendas Novembris. xxvj. C**

Sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris, et Valentini Confessoris.

Sidone, in Phoenicia, sancti Zenobii Presbyteri, qui, sub novissimae persecutionis acerbitate, ad martyrium alios exhortans, martyrio et ipse dignatus est.

In Lucania sanctorum Martyrum Hyacinthi, Quincti, Feliciani et Lucii.

Bergomi sanctae Eusebiae, Virginis et Martyris.

Hierosolymis natalis beati Narcissi Episcopi, sanctitate, patientia ac fide laudabilis, qui, centum et sexdecim annorum senex, feliciter migravit ad Dominum.

Augustoduni sancti Joannis, Episcopi et Confessoris.

Cassiope, in insula Corcyra, sancti Donati Episcopi, de quo scribit beatus Gregorius Papa.

Viennae, in Gallia, depositio beati Theodori Abbatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Octobris**      **Tertio Kalendas Novembris. xxv. D**

In Sardinia natalis sancti Pontiani, Papae et Martyris, qui, ab Alexandro Imperatore, una cum Hippolyto Presbytero, in eam insulam deportatus, ibidem, mactatus fustibus, martyrium consumnavit. Ejus corpus a beato Fabiano Papa Romam delatum est, atque in coemeterio Callisti sepultum. Ipsius tamen festum recolitur tertiodecimo Kalendas Decembris.

Aegeae, in Cilicia, passio sanctorum Zenobii Episcopi, et Zenobiae sororis, sub Diocletiano Imperatore et Lysia Praeside.

Altini, in Venetorum finibus, sancti Theonesti, Episcopi et Martyris, qui ab Arianis occisus est.

In Africa natalis sanctorum Martyrum ducentorum viginti.

Tingi, in Mauritania, passio sancti Marcelli Centurionis,

qui, sanctorum Claudii ac Luperci et Victorii Martyrum pater, capitis abscissione martyrium complevit sub Agricolao, agente vices Praefecti praetorio.

Alexandriae sanctorum tredecim Martyrum, qui, cum sanctis Juliano, Euno et Macario, passi sunt sub Decio Imperatore.

Carali, in Sardinia, sancti Saturnini Martyris, qui, in persecutione Diocletiani, sub Barbaro Praeside, capite truncatus est.

Apameae, in Phrygia, sancti Maximi Martyris, sub eodem Diocletiano.

Legione, in Hispania, sanctorum Martyrum Claudii, Luperci et Victorii, filiorum sancti Marcelli Centurionis; qui, in persecutione Diocletiani et Maximiani, sub Diogeniano Praeside, jussi sunt decollari.

Lutetiae Parisiorum sancti Lucani Martyris.

Alexandriae sanctae Eutropiae Martyris, quae, Martyres visitans, apprehensa est, et, cum illis saevissime cruciata, reddidit spiritum.

Antiochiae sancti Serapionis Episcopi, eruditione clarissimi.

Capuae sancti Germani, Episcopi et Confessoris, magnae sanctitatis viri; cujus animam, in hora obitus ejus, ab Angelis in caelum deferri sanctus Benedictus aspexit.

Potentiae, in Lucania, sancti Gerardi Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**31 Octobris**      **Pridie Kalendas Novembris. xxiv. E**

Vigilia omnium Sanctorum.

Romae sanctorum Ampliati, Urbani et Narcissi, quorum meminit sanctus Paulus ad Romanos scribens, qui, ob Evangelium Christi, a Judaeis et Gentilibus caesi sunt.

Constantinopoli sancti Stachis Episcopi, qui a beato Andrea Apostolo primus ejusdem civitatis Episcopus ordinatus est.

Apud Augustam Veromanduorum, in Gallia, sancti Quinctini, civis Romani et ex ordine Senatorio viri, qui sub Maximiano Imperatore martyrium passus est; cujus corpus post annos quinquaginta quinque, revelante Angelo, inventum est incorruptum.

Mediolani sancti Antonini, Episcopi et Confessoris.

Ratisbonse, in Bavaria, sancti Wolfgangi Episcopi.

Palmae, in Majorica insula, sancti Alfonsi Rodriguez, Coadjutoris temporalis formati e Societate Jesu et Confessoris, humilitate ac jugi mortificationis studio insignis; quem Leo Decimus tertius, Pontifex Maximus,

Sanctorum fastis adscripsit.

Romae Translatio beati Nemesii Diaconi, et filiae Lucillae Virginis, qui octavo Kalendas Septembris decollati sunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Novembris

**1 Novembris**      **Kalendis Novembris.**      **xxij. A**

Festivitas omnium Sanctorum, quam in honorem beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ et sanctorum Martyrum Bonifatius Papa Quartus, cum templum Pantheon tertio Idus Maji dedicasset, celebrem et generalem instituit agi quotannis in urbe Roma. Sed et Gregorius item Quartus postmodum decrevit, eandem festivitatem, quæ variis modis jam in diversis Ecclesiis celebrabatur, in honorem omnium Sanctorum solemniter hac die ab universa Ecclesia perpetuo observari.

In Perside sanctorum Martyrum Joannis Episcopi, et Jacobi Presbyteri, sub Sapore Rege.

Tarracinae, in Campania, natalis sancti Caesarii Diaconi, qui, diebus multis in custodia maceratus, postea, cum sancto Juliano Presbytero, in saccum missus et in mare præcipitatus est.

In castro Divione sancti Benigni Presbyteri, qui a beato Polycarpo missus est in Galliam ad prædicandum Evangelium; et, postquam, sub Marco Aurelio Imperatore, a Terentio Judice gravissimis tormentis multipliciter est afflictus, tandem ejus collum vecte ferreo tundi et corpus lancea perforari jubetur.



Damasci passio sanctorum Caesarii, Dacii et aliorum quinque.

Eodem die sanctae Mariae ancillae, quae, Christianae religionis nomine accusata, hinc, sub Hadriano Imperatore, diris verberibus afflicta, equulei extensionem et ungularum lacerationem passa, martyrium complevit.

Tarsi, in Cilicia, sanctarum Cyreniae et Juliana; Martyrum, sub Maximiano Imperatore.

Arvernus, in Gallia, sancti Austremonii, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus.

Lutetiae Parisiorum depositio sancti Marcelli Episcopi.

Bajocis, in Gallia, sancti Vigoris Episcopi, tempore Childeberti, Francorum Regis.

Andegavi, in Gallia, depositio sancti Licinii Episcopi, venerabilis sanctitatis viri.

Tibure sancti Severini Monachi.

Lyricanti, in Wastinensi Galliae territorio, sancti Maturini Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Novembris**      **Quarto Nonas Novembris.**    **xxj. B**

Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.

Si dies secunda Novembris incidat in Dominicam, praedicta verba leguntur primo loco, die sequenti.

Poetovione, in Pannonia superiore, natalis sancti Victorini, ejusdem civitatis Episcopi, qui, post multa edita scripta (ut sanctus Hieronymus testatur), in persecutione Diocletiani, martyrio coronatus est.

Tergeste passio beati Justi, qui in eadem persecutione, sub Manatio Praeside, martyrium consummavit.

Sebaste, in Armenia, sanctorum Carterii, Styriaci, Tobiae, Eudoxii, Agapii et Sociorum Martyrum, sub Licinio Imperatore.

In Perside sanctorum Martyrum Acindyni, Pegasii, Aphthonii, Elpidiphori et Anempodisti, cum plurimis Sociis.

In Africa natalis sanctorum Martyrum Publii, Victoris, Hermetis et Papiae.

Tarsi, in Cilicia, sanctae Eustochii, Virginis et Martyris; quae, sub Juliano Apostata, post dira tormenta, in oratione reddidit spiritum.

Laodiceae, in Syria, sancti Theodoti Episcopi, qui non solum verbis, sed rebus quoque et virtutibus fuit ornatus.

Viennae, in Gallia, sancti Georgii Episcopi.

In monasterio Agaunensi, in Gallia, sancti Ambrosii Abbatis.

Cyri, in Syria, sancti Marciani Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

*In ipsa die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, antequam legantur Nonae:*

*Hac die Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum; in qua communis pia Mater Ecclesia, postquam universos filios suos jam in caelo laetantes congruis studuit celebrare praeconiis, mox et omnes adhuc in Purgatorio gementes validis apud Dominum et Sponsum Christum satagit suffragiis adjuvare, ut quam citius valeant ad societatem supernorum civium pervenire.*

*Postea dicitur: Tertio, vel Pridie Nonas Novembris, et continuatur Lectio usque ad finem, more solito.*

---

**3 Novembris**      **Tertio Nonas Novembris.**      **vij. E**

Mediolani natalis sancti Caroli Borromaei Cardinalis, Episcopi Mediolanensis et Confessoris, quem, sanctitate conspicuum et miraculis clarum, Paulus Papa Quintus in

sanctorum numerum retulit. Ipsius tamen festivitas sequenti die celebratur.

Eodem die natalis quoque sancti Quarti, Apostolorum discipuli.

Viterbii sanctorum Martyrum Valentini Presbyteri, et Hilarii Diaconi, qui, in persecutione Maximiani, ob Christi fidem, cum saxi pondere in Tiberim praecipitati et inde ab Angelo divinitus erepti, demum, abscissis cervicibus, coronam martyrii perceperunt.

Caesareae, in Cappadocia, sanctorum Martyrum Germani, Theophili, Caesarii et Vitalis; qui, in persecutione Deciana, optime duxerunt martyrium.

Caesaraugustae, in Hispania, sanctorum innumerabilium Martyrum, qui, sub Hispaniarum Praeside Daciano, mirabiliter occubuerunt pro Christo.

In Anglia sanctae Wenefridae, Virginis et Martyris.

In monasterio Claraevallensi, in Gallia, depositio sancti Malachiae, Connerthensis in Hibernia Episcopi, qui multis virtutibus suo tempore claruit; cujus vitam sanctus Bernardus Abbas conscripsit.

Eodem die sancti Huberti, Tungrensis Episcopi.

Viennae, in Gallia, sancti Domni, Episcopi et Confessoris.

Item depositio sancti Pirmini, Meldensis Episcopi.

Urgellae, in Hispania Tarraconensi, sancti Hermengaudii  
Episcopi.

Romae sanctae Silviae, matris sancti Gregorii Papae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et  
Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Novembris**      **Pridie Nonas Novembris.**      **vij. F**

Sancti Caroli Borromaei Cardinalis, Episcopi  
Mediolanensis et Confessoris, qui migravit in caelum pridie  
hujus diei.

Bononiae sanctorum Martyrum Vitalis et Agricolae;  
quorum prior posterioris servus antea fuit, postea consors et  
collega martyrii. In ipsum porro Vitalem persecutores  
omnia tormentorum genera ita exercuerunt, ut non esset in  
corpore ejus sine vulnere locus, quae ipse constanter  
perferens, in oratione spiritum Deo reddidit; Agricolam  
vero, plurimis clavis cruci affigentes, interemerunt. Eorum  
translationi sanctus Ambrosius cum interesset, Martyris  
clavos, sanguinem triumphalem et crucis lignum se  
collegisse refert, ac sub sacris altaribus condidisse.

In coenobio Cervi Frigidi, territorii Meldensis, natalis sancti  
Felicitis Valesii, Presbyteri et Confessoris; qui Fundator fuit  
Ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum.  
Ipsius autem festum, ex dispositione Innocentii Papae  
Undecimi, celebratur duodecimo Kalendas Decembris.

Eodem die natalis quoque sanctorum Philologi et Patrobae, sancti Pauli Apostoli discipulorum.

Augustoduni sancti Proculi, Episcopi et Martyris.

Myrae, in Lycia, sanctorum Martyrum Nicandri Episcopi, et Hermae Presbyteri, sub Libanio Praeside.

In pago Vilcassino, in Gallia, sancti Clari, Presbyteri et Martyris.

Ephesi sancti Porphyrii Martyris, sub Aureliano Imperatore.

Apud Ruthenos, in Gallia, beati Amantii Episcopi, cujus vita exstitit sanctitate et miraculis gloriosa.

Romae natalis sancti Pierii, Presbyteri Alexandrini, qui, in divinis Scripturis nobiliter eruditus, vita purissimus, et ad Christianam philosophiam nudus penitus et expeditus, sub Caro et Diocletiano Principibus, regente Alexandrinam Ecclesiam Theona, florentissime docuit populum, et diversos tractatus edidit; post persecutionem vero, omne vitae suae tempus Romae versatus, in pace quievit.

In Bithynia sancti Joannicii Abbatis.

Apud Albam Regalem, in Pannonia, depositio beati Emerici Confessoris, qui fuit filius sancti Stephani, Hungarorum Regis.

Treviris sanctae Modestae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Novembris**

**Nonis Novembris.**

**vij. G**

Sancti Zachariae, Sacerdotis et Prophetae, qui pater exstitit beati Joannis Baptistae, Praecursoris Domini.

Item sanctae Elisabeth, ejusdem sanctissimi Praecursoris matris.

Tarracinae, in Campania, natalis sanctorum Martyrum Felicis Presbyteri, et Eusebii Monachi. Ex his Eusebius, cum sepelisset sanctos Martyres Julianum et Caesarium, et multos converteret ad fidem Christi, quos sanctus Felix Presbyter baptizabat, una cum ipso Felice tentus est; et, ad Judicis forum ducti nec superati, inde in carcerem inclusi, ambo, nocte eadem, cum sacrificare noluisent, decollati sunt.

Emessae, in Phoenicia, sanctorum Martyrum Galationis et Epistemis conjugis, qui in Decii persecutione, flagris caesi, manibus pedibusque et lingua insuper mutilati, denique, truncato capite, martyrium consummarunt.

Item sanctorum Martyrum Domnini, Theotimi, Philothei, Silvani et Sociorum, sub Maximino Imperatore.

Mediolani sancti Magni, Episcopi et Confessoris.

Brixiae sancti Dominatoris Episcopi.

Treviris sancti Fibitii, qui ex Abbate factus est ejusdem civitatis Episcopus.

Aurelianis, in Gallia, sancti Laeti, Presbyteri et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Novembris**

**Octavo Idus Novembris.**

**vij. A**

Barcinone, in Hispania, sancti Severi, Episcopi et Martyris; qui ob fidem catholicam, confosso per clavum capite, martyrii coronam accepit.

Thinissae, in Africa, natalis sancti Felicis Martyris, qui, confessus et ad tormenta dilatus, alio die (ut refert sanctus Augustinus, Psalmum in ejus festivitate ad populum exponens) inventus est in carcere exanimis.

Theopoli, quae est Antiochia, sanctorum decem Martyrum, qui a Saracenis passi leguntur.

In Phrygia sancti Attici Martyris.

Apud Bergas, in Flandria, depositio sancti Winoci Abbatis, qui, virtutibus et miraculis clarus, etiam fratribus sibi subditis multo tempore ministravit.

Fundis, in Latio, sancti Felicis Monachi.



Lemovicis, in Aquitania, sancti Leonardi Confessoris, qui fuit beati Remigii Episcopi discipulus. Hic, nobili genere ortus, solitariam vitam delegit, et sanctitate ac miraculis claruit; ejusque virtus praecipue in liberandis captivis enituit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Novembris**      **Septimo Idus Novembris.**      **vij. B**

Patavii depositio sancti Prosdocimi, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus. Hic, a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, ad praedicandum Dei verbum ad praedictam civitatem missus est; ibique, multis virtutibus et prodigiis coruscans, beato fine quievit.

Perusiae sancti Herculani, Episcopi et Martyris.

Apud Swelmensem civitatem, in Germania, passio sancti Engelberti, Episcopi Coloniensis, qui, cum illuc ex oppido Sosatio ad templum dedicandum pergeret, a sicariis interceptus in via multisque vulneribus caesus, gloriosum pro defensione ecclesiasticae libertatis et Romanse Ecclesiae obedientia martyrium subiit.

Eodem die sancti Amaranthi Martyris, qui apud Albigensem urbem, in Gallia, exacto agonis fidelis cursu, sepultus, vivit in gloria.

Melitinae, in Armenia, passio sanctorum Hieronis, Nicandri, Hesychii et aliorum triginta; qui in persecutione Diocletiani, sub Lysia Praeside, coronati sunt.

Amhipoli, in Macedonia, sanctorum Martyrum Aucti, Taurionis et Thessalonicae.

Ancyrae, in Galatia, passio sanctorum Melasippi, Antonii et Carinae, sub Juliano Apostata.

Alexandriae beati Achillae Episcopi, qui eruditione, fide, conversatione ac moribus fuit insignis.

In Frisia depositio sancti Willibrordi, Episcopi Trajectensis; qui, a beato Sergio Papa ordinatus Episcopus, in Frisia et Dania Evangelium praedicavit.

Metis, in Gallia, sancti Rufi, Episcopi et Confessoris.

Argentorati sancti Florentii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Novembris**      **Sexto Idus Novembris.**      **vij. C**

Octava omnium Sanctorum.

Romae, via Lavicana, tertio ab Urbe milliario, passio sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii et Simplicii, qui, primo in carcerem missi, deinde

scorpionibus gravissime caesi, tandem, cum ex fide Christi dimoveri non possent, a Diocletiano jussi sunt in fluvium praecipites dari.

Ibidem, via Lavicana, natalis sanctorum Quatuor Coronatorum fratrum, id est Severi, Severiani, Carpophori et Victorini; qui, sub eodem Imperatore, ictibus plumbatarum usque ad mortem caesi sunt. Horum autem nomina, quae postea, interjectis annis, Domino revelante, ostensa sunt, cum minime reperiri tunc potuissent, statutum fuit ut anniversaria dies ipsorum, una cum illis quinque, sub nomine sanctorum Quatuor Coronatorum recoleretur; qui mos, etiam postquam revelata sunt, in Ecclesia perseveravit.

Item Romae sancti Deusdedit Papae Primi, qui tanti meriti fuit, ut leprosum osculo a lepra sanaverit.

In vico Blexen, ad Visurgim fluvium, in Germania, sancti Willehadi, qui primus exstitit Bremensis civitatis Episcopus; atque, una cum sancto Bonifatio, cujus discipulus fuit, in Frisia et Saxonia Evangelium propagavit.

Suessione, in Galliis, sancti Godefridi, Ambianensis Episcopi, magnae sanctitatis viri.

Apud Virodunum, in Gallia, sancti Mauri, Episcopi et Confessoris.

Turonis, in Gallia, sancti Clari Presbyteri, cujus sanctus Paulinus epitaphium scripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Novembris**

**Quinto Idus Novembris.**

**vij. D**

Romae, in Laterano, Dedicatio Basilicae sanctissimi Salvatoris, quae dnmium Urbis et Orbis Ecclesiarum est mater et caput.

Amaseae, in Ponto, natalis sancti Theodori militis, qui, tempore Maximiani Imperatoris, pro Christianae fidei confessione, fortiter caesus et in carcerem missus; deinde, Domino sibi apparente ac monente ut constanter et viriliter ageret, relevatus est; novissime, postquam in equuleo suspensus et unguis ita excarnificatus est, ut ejus interiora apparent nuda, ardentibus ignibus comburendus traditur. Ipsius vero laudes sanctus Gregorius Nyssenus praeclaro encomio celebravit.

Tyanae, in Cappadocia, passio sancti Orestis, sub Diocletiano Imperatore.

Thessalonicae sancti Alexandri Martyris, sub Maximiano Principe.

Apud Bituricas, in Aquitania, sancti Ursini Confessoris, qui, Romae ordinatus a successoribus Apostolorum, primus eidem Bituricensi urbi destinatur Episcopus.

Neapoli, in Campania, sancti Agrippini Episcopi, miraculis clari.

Constantinopoli sanctarum Virginum Eustoliae Romanae, et Sopatrae, filiae Mauritii Imperatoris.

Beryti, in Syria, commemoratio Imaginis Salvatoris, quae, a Judaeis crucifixa, tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales et Occidentales Ecclesiae ex eo ubertim acceperint.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Novembris**      **Quiarto Idus Novembris.**      **vij. E**

Neapoli, in Campania, natalis sancti Andreae Avellini, Clerici Regularis et Confessoris, sanctitate et salutis proximorum procurandae studio praecelebris, quem, miraculis clarum, Clemens Undecimus, Pontifex Maximus, Sanctorum catalogo adscripsit.

Eodem die natalis quoque sanctorum Martyrum Tryphonis, et Respicii, ac Nymphae Virginis.

Romae item natalis sancti Leonis Papae Primi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris; qui, virtutum excellens meritis, dictus est Magnus. Ejus temporibus celebrata fuit sancta Synodus Chalcedonensis, in qua ipse per legatos damnavit Eutychem; cujus etiam Synodi decreta postmodum auctoritate sua confirmavit. Tandem, cum sanxisset multa luculenterque scripsisset, Pastor bonus, de sancta Dei Ecclesia et universo grege Dominico optime meritus, quievit in pace. Ipsiis tamen festivitas tertio Idus Aprilis celebratur.

Iconii, in Lycaonia, sanctarum mulierum Tryphennae et Tryphosae, quae, beati Pauli praedicatione et exemplo Theclae, in Christiana disciplina plurimum profecerunt.

Antiochiae sanctorum Demetrii Episcopi, Aniani Diaconi, Eustosii et aliorum viginti Martyrum.

In territorio Agathensi, in Gallia, sanctorum Martyrum Tiberii, Modesti et Florentiae; qui, tempore Diocletiani, variis tormentis cruciati, martyrium compleverunt.

Ravennae sancti Probi Episcopi, miraculis clari.

Aurelianis, in Gallia, sancti Monitoris, Episcopi et Confessoris.

In Anglia sancti Justi Episcopi, qui, una cum Augustino, Mellito et aliis a beato Gregorio Papa in eam insulam missus ad praedicandum Evangelium, ibidem, sanctitate celebris, obdormivit in Domino.

In oppido Milleduno, in Gallia, sancti Leonis Confessoris.

In Paro insula sanctae Theoctistis Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Novembris**

**Tertio Idus Novembris.**

**xiv. F**

Turonis, in Gallia, natalis beati Martini, Episcopi et Confessoris; cujus vita tantis existit miraculis gloriosa, ut trium mortuorum suscitator esse meruerit.

Cotyaei, in Phrygia, insignis passio sancti Mennae, Aegyptii militis, qui, in persecutione Diocletiani, postquam, abjecto militiae cingulo, meruit caelesti Regi secreta conversatione in eremo militare, processit in publicum, et, se Christianum libera voce declarans, primo diris cruciatibus examinatur; novissime, fixis in oratione genibus, Domino Jesu Christo gratias agens, gladio caesus est, ac multis post mortem miraculis claruit.

Ravennae sanctorum Martyrum Valentini, Feliciani et Victorini; qui in Diocletiani persecutione coronati sunt.

In Mesopotamia sancti Athenodori Martyris, qui, sub eodem Diocletiano et Eleusio Praeside, ignibus cruciatus et aliis suppliciis tortus, demum capitis damnatus est, et, cum carnifex corruisset neque ullus alius gladio illum ferire ausus esset, orans obdormivit in Domino.

Lugduni, in Gallia, sancti Verani Episcopi, cujus vita fuit fide et virtutum meritis illustris.

Constantinopoli sancti Theodori, Abbatis Studitae, qui, pro fide catholica adversus Iconoclastas strenue pugnans, factus est apud universam Ecclesiam catholicam celebris.

In monasterio Cryptae Ferratae, in agro Tusculano, sancti Bartholomaei Abbatis, qui fuit socius beati Nili, ejusque vitam conscripsit.

In provincia Samnii beati Mennae solitarii, cujus virtutes et miracula sanctus Gregorius Papa commemorat.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Novembris**      **Pridie Idus Novembris.**      **xij. G**

Sancti Martini Primi, Papae et Martyris, cujus dies natalis sextodecimo Kalendas Octobris recensetur.

Vitepsci, in Polonia, passio sancti Josaphat, e sancti Basilius Ordine, Episcopi Polocensis et Martyris; qui a schismaticis, in odium catholicae unitatis et veritatis, crudeliter interfectus est, et a Pio Papa Nono inter sanctos Martyres adscriptus. Ejus tamen festivitas recolitur decimo octavo Kalendas Decembris.

Compluti, in Hispania, natalis sancti Didaci Confessoris, ex Ordine Minorum, humilitate celebris; quem Xystus Quintus, Pontifex Maximus, Sanctorum catalogo adscripsit. Ipsius autem festum sequenti die celebratur.

In Asia passio sanctorum Aurelii et Publii Episcoporum.

Eschae, in Belgio, sancti Livini, Episcopi et Martyris; qui, cum plurimos ad Christi fidem convertisset, a Paganis necatus est. Ipsius vero corpus ad Portum Gandae postea translatum fuit.



Apud Casimiriam, in Polonia, sanctorum Martyrum Eremitarum Benedicti, Joannis, Matthaei, Isaac et Christiani; qui a praedonibus, divino intenti servitio, dire vexati sunt et gladiis occisi.

Apud oppidum Serginiam, in territorio Senonensi, sancti Paterni, Monachi et Martyris; qui, dum eidem occurrentes in ipsius oppidi silva latrones ad emendam vitam incitaret, ab illis trucidatus est.

Avenione sancti Rufi, qui exstitit primus ejusdem civitatis Episcopus,

Coloniae Agrippinae depositio sancti Cuniberti Episcopi.

Turiasone, in Hispania Tarraconensi, beati Aemiliani Presbyteri, qui innumeris miraculis claruit; cujus admirabilem vitam sanctus Braulio, Caesaraugustanus Episcopus, descripsit.

Constantinopoli sancti Nili Abbatis, qui, sub Theodosio juniore, ex Praefecto ejusdem civitatis factus Monachus, doctrina et sanctitate claruit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Novembris**

**Idibus Novembris.**

**xij. A**

Sancti Didaci, ex Ordine Minorum, Confessoris; cujus dies natalis recolitur pridie hujus diei.

Ravennae natalis sanctorum Martyrum Valentini, Solutoris et Victoris; qui sub Diocletiano Imperatore passi sunt.

Aquis, in provincia Narbonensi, beati Mitrii, clarissimi Martyris.

Caesareae, in Palaestina, passio sanctorum Antonini, Zebinae, Germani et Ennathae Virginis. Haec, sub Galerio Maximiano Imperatore, verberibus caesa, igne cremata est; illi vero, cum intrepidi ac libera voce Firmilianum Praesidem, diis immolantem, impietatis arguerent, capite caesi sunt.

In Africa sanctorum Martyrum Hispanorum Arcadii, Paschasii, Probi et Eutychiani; qui, in persecutione Wandalica, cum in Arianam perfidiam nullatenus declinare paterentur, hinc a Genserico, Rege Ariano, primum proscripti, deinde acti in exilium atque atrocissimis suppliciis cruciati, postremum diverso mortis genere interempti sunt. Tunc et Paulilli pueruli, germani sanctorum Paschasii et Eutychiani, constantia enituit; qui, cum de fide catholica nullatenus posset avelli, fustibus diu caesus est, atque ad infimam servitutem damnatus.

Romae sancti Nicolai Papae Primi, vigore apostolico praestantis.

Turonis, in Gallia, sancti Britii Episcopi, qui fuit discipulus beati Martini Episcopi.

Toleti, in Hispania, sancti Eugenii Episcopi.

Arvernīs, in Gallia, sancti Quinctiani Episcopi.

Cremonae, in Insubria, sancti Homoboni Confessoris; quem, miraculis clarum, Innocentius Papa Tertius in Sanctorum numerum retulit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Novembris**

**Decimo octavo Kalendas  
Decembris. xj. B**

Sancti Josaphat, e sancti Basilii Ordine, Episcopi Polocensis et Martyris, cujus dies natalis recensetur pridie Idus Novembris.

Gangris, in Paphlagonia, sancti Hypatii Episcopi, qui, a magna Nicaena Synodo rediens, a Novatianis haeticis in via lapidibus impetitus, Martyr occubuit.

Heracleae, in Thracia, natalis sanctorum Martyrum Clementini, Theodoti et Philomeni.

Alexandriae sancti Serapionis Martyris, quem persecutores, sub Decio Principe, ita crudelissimis affecerunt suppliciis, ut cunctas ei juncturas membrorum prius solverent, eumque postea de superioribus domus suae praecipitent; atque ille sic gloriosus Christi Martyr efficeretur.

Trecis, in Gallia, sancti Venerandi Martyris, sub Aureliano Imperatore.

In Gallia sanctae Venerandae Virginis, quae, sub Antonino Imperatore et Asclepiade Praeside, martyrii coronam accepit.

Emessae, in Phoenicia, passio plurimarum sanctarum mulierum, quae, sub saevissimo Arabum duce Mady, ob Christi fidem, crudelissime tortae atque necatae sunt.

Bononiae sancti Jucundi, Episcopi et Confessoris.

Augae, in Gallia, transitus sancti Laurentii, Episcopi Dublinensis.

Algariae, in Africa, beati Serapionis, qui, primus ex Ordine beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, pro captivis fidelibus redimendis et Christianae fidei praedicatione actus in crucem et membratim dissectus, martyrii palmam meruit obtinere.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Novembris**

**Decimo septimo Kalendas  
Decembris. x. C**

Coloniae Agrippinae sancti Alberti Episcopi et Confessoris, ex Ordine Praedicatorum, cognomento Magni, sanctitate et doctrina celebris, quem Pius Papa Undecimus Doctorem universalis Ecclesiae declaravit, et Pius Duodecimus cultorum scientiarum naturalium caelestem apud Deum

Patronum constituit.

Eodem die natalis sancti Eugenii, Episcopi Toletani et Martyris; qui fuit beati Dionysii Areopagitae discipulus, et in territorio Parisiensi, consummato martyrii cursu, beatae passionis coronam percepit a Domino. Ipsius autem corpus Toletum, in Hispania, postea fuit translatum.

Nolae, in Campania, beati Felicis, Episcopi et Martyris; qui, a quintodecimo aetatis suae anno, miraculis claruit, et, sub Marciano Praeside, cum aliis triginta Sociis, agonem martyrii complevit.

Edessae, in Mesopotamia, passio sancti Abibi Diaconi, qui sub Licinio Imperatore et Lysania Praeside, unguibus laceratus, in ignem coniectus est.

Ibidem sanctorum Martyrum Guriae et Samonse, sub Diocletiano Imperatore et Antonino Praeside.

In Africa sanctorum Martyrum Secundi, Fidentiani et Varici.

Apud Arcum, in territorio Santonensi, natalis sancti Machuti, Aletensis in Gallia Episcopi; qui, in Anglia natus, a primaeva aetatis suae tirocinio miraculis emicuit.

Veronae sancti Luperii, Episcopi et Confessoris.

Kahlebergae, prope Vindobonam, in Austria, sancti Leopoldi, ejusdem provinciae Austriae Marchionis, quem Innocentius Papa Octavus in Sanctorum numerum

adscriptis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Novembris**

**Sextodecimo Kalendas  
Decembris.**

**ix. D**

Sanctae Gertrudis Virginis, cujus natalis sequenti die recensetur.

Edimburgi, in Scotia, natalis sanctae Margaritae Viduae, Scotorum Reginae, amore in pauperes et voluntaria paupertate celebris. Ipsius tamen festivitas quarto Idus Junii celebratur.

In Africa sanctorum Martyrum Rufini, Marci, Valerii et Sociorum.

Eodem die sanctorum Martyrum Elpidii, Marcelli, Eustochii et Sociorum; ex quibus Elpidius, cum esset ordinis Senatorii et coram Juliano Apostata Christianam fidem constantissime profiteretur, ideo, primum equis indomitis, una cum Sociis, alligatus atque pertractus, deinde, in ignem coniectus, gloriosum martyrium consummavit.

Lugduni, in Gallia, natalis sancti Eucherii, Episcopi et Confessoris, viri admirandae fidei et doctrinae. Hic, ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitumque conversus, diu, intra septa speluncae sponte

conclusus, in orationibus et jejuniis Christo servivit; deinde apud praefatam urbem in pontificali Cathedra, revelante Angelo, solemniter collocatus est.

Patavii sancti Fidentii Episcopi.

Cantuariae, in Anglia, sancti Edmundi, Episcopi et Confessoris; qui, pro Ecclesiae suae juribus tuendis in exilium actus, apud Provinum, Senonum oppidum, sanctissime obiit; et Sanctorum canoni ab Innocentio Papa Quarto adscriptus est.

Eodem die depositio sancti Othmari Abbatis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Novembris**

Quintodecimo Kalendas  
Decembris.

viiij. E

Neocaesareae, in Ponto, natalis sancti Gregorii, Episcopi et Confessoris, doctrina et sanctitate illustris, qui propter signa atque miracula, quae cum multa Ecclesiarum gloria perpetravit, Thaumaturgus est appellatus.

Helpithi, in Saxonia, item natalis sanctae Gertrudis, Virginis, ex Ordine sancti Benedicti, quae dono revelationum clara exstitit. Ipsius tamen festivitas pridie hujus diei celebratur.

In Palaestina sanctorum Martyrum Alphaei et Zachaei, qui

primo anno persecutionis Diocletiani, post multa tormenta, capitalem sententiam subiere.

Cordubae, in Hispania, sanctorum Martyrum Aciscli et Victoriae germanorum, qui, in eadem persecutione, Dionis Praesidis jussu saevissime cruciati sunt, et illustri passione coronas a Domino meruerunt.

Alexandriae sancti Dionysii Episcopi, summae eruditionis viri, qui, multis confessionibus clarus et pro passionum tormentorumque diversitate magnificus, plenus dierum Confessor quievit, Valeriani et Gallieni Imperatorum temporibus.

Aurelianis, in Gallia, sancti Aniani Episcopi, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam miracula crebra testantur.

In Britannia sancti Hugonis Episcopi, qui, ex Monacho Carthusiano ad Ecclesiam Lincolniensem regendam vocatus, multis claruit miraculis, et sancto fine quievit.

Turonis, in Gallia, sancti Gregorii Episcopi.

Florentiae sancti Eugenii Confessoris, qui fuit Diaconus beati Zenobii, ejusdem civitatis Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Novembris**

**Quartodecimo Kalendas  
Decembris.**

**vij. F**



Romae Dedicatio Basilicarum sanctorum Petri et Pauli Apostolorum. Earum primam, restitutam in ampliorem formam, Summus Pontifex Urbanus Octavus consecravit hac ipsa recurrente die; alteram vero, miserando incendio penitus consumptam, ac magnificentius reaedificatam, Pius, Nonus die decima Decembris solemniter ritu consecravit, ejusque annuam commemorationem hodierna die agendam indixit.

Antiochiae natalis sancti Romani Martyris, qui, tempore Galerii Imperatoris, cum Asclepiades Praefectus in Ecclesiam irrumperet eamque funditus conaretur evertere, ceteros Christianos hortatus est ut ei contradicerent, ideoque, post dira tormenta et abscissionem linguae (sine qua tamen Dei praeconia loquebatur), in carcere strangulatus laqueo, celebri martyrio coronatur. Passus est etiam ante ipsum puerulus, nomine Barula, qui, cum fuisset ab eodem interrogatus Praefecto utrum melius esset unum Deum colere an plures deos, atque in unum Deum, quem Christiani colunt, credendum esse respondisset, propterea, verberibus csesus, jussus est decollari.

Item Antiochiae sancti Hesychii Martyris, qui, cum esset miles, et praeceptum audisset ut quisquis non sacrificaret idolis, cingulum militiae deponeret, repente cingulum solvit; ob quam causam, ingenti saxo in dextera ejus ligato, in fluvium praecipitari jussus est.

Eodem die sanctorum Oriculi et Sociorum, qui, in persecutione Wandalica, pro fide catholica passi sunt.

Moguntiae sancti Maximi Episcopi, qui, tempore Constantii multa passus ab Arianis, Confessor occubuit.

Turonis, in Gallia, transitus beati Odonis, Abbatis Cluniacensis.

Antiochiae sancti Thomae Monachi, quem Antiocheni, ob sedatam ejus precibus pestem, solemnitate annua coluerunt.

Lucae, in Tuscia, Translatio sancti Frigidiani, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Novembris**

**Tertiodecimo Kalendas  
Decembris.**

**vj. G**

In oppido Marpurgi, in Germania, depositio sanctae Elisabeth Viduae, Regis Hungarorum Andreae filiae, ex tertio Ordine sancti Francisci, quae, pietatis operibus assidue intenta, miraculis clara migravit ad Dominum.

Sancti Pontiani, Papae et Martyris; cujus dies natalis tertio Kalendas Novembris recensetur.

Samariae, in Palaestina, sancti Abdiae Prophetae.

Romae, via Appia, natalis sancti Maximi, Presbyteri et Martyris, qui, in persecutione Valeriani passus, positus est ad sanctum Xystum.

In civitate Astiagensi, in Hispania, beati Crispini Episcopi, qui, capite amputato, martyrii gloriam adeptus est.

Eodem die sancti Fausti, Diaconi Alexandrini, qui primum, in persecutione Valeriani, cum sancto Dionysio, in exilium missus est; deinde, aetate longaevus, in persecutione Diocletiani, animadversus gladio martyrium consummavit.

Caesareae, in Cappadocia, sancti Barlaam Martyris, qui, agrestis licet et rudis, Christi sapientia munitus tyrannum vicit, et ignem ipsum per invictam fidei constantiam superavit; in cujus die natali sanctus Basilius Magnus celebrem habuit orationem.

Viennae, in Gallia, sanctorum Martyrum Severini, Exsuperii et Feliciani; quorum corpora, post multa annorum curricula, ipsis revelantibus, inventa, et a Pontifice, clero et populo illius urbis honorifice sublata, condigno honore condita sunt.

In Isauria passio sanctorum Azae et Sociorum centum quinquaginta militum, sub Diocletiano Imperatore et Aquilino Tribuno.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Novembris**

**Duodecimo Kalendas  
Decembris.**

**v. A**

Sancti Felicis Valesii, Presbyteri et Confessoris, qui Ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum exstitit Fundator, ac pridie Nonas Novembris obdormivit in Domino.

In Perside passio sanctorum Nersae Episcopi, et Sociorum.

Messanae, in Sicilia, sanctorum Martyrum Ampeli et Caji.

Taurini sanctorum Martyrum Octavii, Solutoris et Adventoris, Thebanae legionis militum; qui, sub Maximiano Imperatore, egregie decertantes, martyrio coronati sunt.

Caesareae, in Palaestina, sancti Agapii Martyris, qui, sub Galerio Maximiano Imperatore, damnatus ad bestias et ab iis nil laesus, tandem, lapidibus ad pedes appensis, in mare demergitur.

Dorostori, in Mysia inferiore, sancti Dasii Martyris, qui, cum in festo Saturni nollet impudicitias ejus consentire, sub Basso Praeside caesus est.

Nicaeae, in Bithynia, sanctorum Martyrum Eustachii, Thesepii et Anatolii, in persecutione Maximiani.

Heracleae, in Thracia, sanctorum Martyrum Bassi, Dionysii, Agapiti et aliorum quadraginta.

In Anglia sancti Eadmundi, Regis et Martyris.

Constantinopoli sancti Gregorii Decapolitae, qui ob cultum

sanctarum Imaginum multa passus est.

Mediolani sancti Benigni Episcopi, qui, in magna barbarorum perturbatione, commissam sibi Ecclesiam summa constantia et religione administravit.

Cabillone, in Galliis, sancti Silvestri Episcopi, qui quadragesimo secundo sui sacerdotii anno, plenus dierum atque virtutum, migravit ad Dominum.

Veronae sancti Simplicii, Episcopi et Confessoris.

Hildeshemii, in Saxonia, sancti Bernwardi, Episcopi et Confessoris, qui a Caelestino Papa Tertio in Sanctorum numerum adscriptus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Novembris**

**Undecimo Kalendas  
Decembris.**

**iv. B**

Hierosolymis Praesentatio beatae Dei Genitricis Virginis Mariae in Templo.

Eodem die natalis beati Rufi, de quo sanctus Paulus Apostolus ad Romanos scribit.

Romae passio sanctorum Celsi et Clementis.

Rhemis, in Gallia, sancti Alberti, Episcopi Leodiensis et

Martyris; qui pro tuenda ecclesiastica libertate necatus est.

Apud Ostia Tiberina natalis sanctorum Martyrum Demetrii et Honorii.

In Hispania sanctorum Martyrum Honorii, Eutychie et Stephani.

In Pamphylia sancti Heliodori Martyris, in persecutione Aureliani, sub Aetio Praeside. Post eum vero ipsi tortores, conversi ad fidem, in mare demersi sunt.

Romae sancti Gelasii Papae Primi, doctrina et sanctitate conspicui.

Veronae sancti Mauri, Episcopi et Confessoris.

In monasterio Bobiensi depositio sancti Columbani Abbatis, qui, multorum coenobiorum fundator, plurimorum Monachorum exstitit Pater, multisque virtutibus clarus, in senectute bona quievit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Novembris**

**Decimo Kalendas  
Decembris.**

**iiij. C**

Sanctae Caeciliae, Virginis et Martyris, quae ad caelestem Sponsam, proprio sanguine purpurata, transivit sextodecimo Kalendas Octobris.

Colossis, in Phrygia, sanctorum Philemonis et Apphiaë, sancti Pauli discipulorum; qui, sub Nerone Imperatore, cum Gentiles, in die festo Dianae, invasissent Ecclesiam, ambo, ceteris fugientibus, tenti, jussu Artoclis Praesidis verberibus caesi sunt, et, usque ad renes in foveam inclusi, lapidibus opprimuntur.

Romae sancti Mauri Martyris, qui, cum ex Africa venisset ad sepulcra Apostolorum, sub Imperatore Numeriano et Urbis Praefecto Celerino agonizavit.

Antiochiaë Pisidiaë passio sanctorum Marci et Stephani, sub Diocletiano Imperatore.

Augustoduni sancti Pragmatii, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Novembris**      **Nono Kalendas Decembris.**    **ij. D**

Natalis sancti Clementis Primi, Papae et Martyris, qui, tertius post beatum Petrum Apostolum, Pontificatum tenuit, et, in persecutione Trajani, apud Chersonesum relegatus, ibi, alligata ad ejus collum anchora, praecipitatus in mare, martyrio coronatur. Ipsi autem corpus, Hadriano Secundo Summo Pontifice, a sanctis Cyrillo et Methodio fratribus Romam translatum, in Ecclesia quae ejus nomine antea fuerat exstructa, honorifice reconditum est.

Romae sanctae Felicitatis Martyris, septem filiorum Martyrum matris; quae, post eos, jubente Marco Antonino Imperatore, decollata est pro Christo.

Cyzici, in Hellesponto, sancti Sisinii Martyris, qui in persecutione Diocletiani Imperatoris, post multa tormenta, gladio caesus est.

Emeritae, in Hispania, sanctae Lucretiae, Virginis et Martyris; quae in eadem persecutione, sub Daciano Praeside, martyrium consummavit.

Iconii, in Lycaonia, sancti Amphilochii Episcopi, qui, sanctorum Basilii et Gregorii Nazianzeni in eremo socius et in Episcopatu collega, tandem, post multa quae suscepit pro catholica fide certamina, sanctitate et doctrina clarus, quievit in pace.

Agrigenti depositio sancti Gregorii Episcopi.

In oppido Hasbanae, in Belgio, sancti Trudonis, Presbyteri et Confessoris, cujus nomine postmodum insignitum fuit tum monasterium illic ab eodem Sancto in suis praediis erectum, tum ipsum oppidum in eo loco paulatim exstructum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Novembris**

**Octavo Kalendas Decembris. j. E**



Sancti Joannis a Cruce Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, sanctae Teresiae in Carmelitarum reformatione socii, cujus dies natalis decimo nono Kalendas Januarii recensetur.

Eodem die natalis sancti Chrysogoni Martyris, qui, post longa vincula et carceres pro constantissima Christi confessione toleratos, Aquilejam, jubente Diocletiano, perductus, tandem, caesus capite et in mare projectus, martyrium consummavit.

Romae sancti Crescentiani Martyris, qui in passione beati Marcelli Papae memoratur.

Apud Corinthum sancti Alexandri Martyris, qui, sub Juliano Apostata et Sallustio Prseside, pro Christi fide certavit usque ad mortem.

Perusiae sancti Felicissimi Martyris.

Ameriae, in Umbria, sanctae Firminae, Virginis et Martyris; quae, in persecutione Diocletiani Imperatoris, varie cruciata est, ac demum, suspensa et lampadibus ardentibus adusta, immaculatum spiritum Deo reddidit.

Cordubae, in Hispania, sanctarum Virginum et Martyrum Florae et Mariae; quae, post diuturnos carceres, in persecutione Arabica, gladio interemptae sunt.

Mediolani sancti Protasii Episcopi, qui apud Constantem Imperatorem in Concilio Sardicensi causam Athanasii defendit, ac demum, pro Ecclesia sibi commissa et pro

religione multis perfunctus laboribus, migravit ad Dominum.

In territorio Arvernensi sancti Portiani Abbatis, qui, sub Theodorico Rege, miraculis claruit; cujus etiam nomen inditum mansit tam monasterio cui Sanctus ipse praefuit, quam oppido quod in eodem loco postea constructum fuit.

In castro Blavio, in Gallia, sancti Romani Presbyteri, cujus sanctitatis praeconium gloria miraculorum declarat.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Novembris**

Septimo Kalendas  
Decembris.

\*. F

Alexandriae sanctae Catharinae, Virginis et Martyris, quae, ob fidei Christianae confessionem, sub Maximino Imperatore, in carcerem trusa, et postmodum scorpionibus diutissime caesa, tandem capitis obruncatione martyrium complevit. Ipsius corpus, in montem Sinai mirabiliter ab Angelis delatum, ibidem, frequenti Christianorum concursu, pia veneratione colitur.

Romae sancti Moysis, Presbyteri et Martyris; quem, cum aliis detentum in carcere, sanctus Cyprianus per litteras saepe est consolatus. Ipse autem Moyses, cum non tantum adversus Gentiles, sed etiam adversus schismaticos et haereticos Novatianos infracto animo stetisset, demum (ut sanctus Cornelius Papa testatur), in persecutione Decii,

eximio et admirabili martyrio decoratus est.

Antiochiae sancti Erasmi Martyris.

Caesareae, in Cappadocia, passio sancti Mercurii militis, qui custodientis se Angeli patrocinio et barbaros vicit, et Decii saevitiam superavit; multisque auctus tormentorum trophaeis, martyrio coronatus migravit in caelum.

In Aemilia, Italiae provincia, sanctae Jucundae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Novembris**      **Sexto Kalendas Decembris.**    **xxix. G**

Apud Fabrianum, in Piceno, beati Silvestri Abbatis, Institutoris Congregationis Monachorum Silvestrinorum.

Alexandriae natalis sancti Petri, ejusdem urbis Episcopi et Martyris; qui, cum esset omnibus virtutibus exornatus, ibidem, Galerii Maximiani praecepto, capite obruncatus est.

Passi sunt etiam Alexandriae, in eadem persecutione, sancti Martyres Faustus Presbyter, Didius et Ammonius, itemque Episcopi quatuor Aegyptii, idest Phileas, Hesychnus, Pachomius et Theodorus, cum aliis sexcentis sexaginta, quos persecutionis gladius evexit ad caelos.

Apud villam cui nomen Fracta, in territorio Rhodigiensi, sancti Bellini, Episcopi Patavini et Martyris; qui a sicariis, cum esset Ecclesiae jurium defensor eximius, crudeliter impetitus ac multis illatis vulneribus occisus est.

Nicomediae sancti Marcelli Presbyteri, qui, Constantii tempore, ab Arianis e rupe praecipitatus, Martyr occubuit.

Romae sancti Siricii, Papae et Confessoris, doctrina, pietate et religionis zelo praeclari, qui varios damnavit haereticos, et disciplinam ecclesiasticam saluberrimis decretis instauravit.

Augustoduni sancti Amatoris Episcopi.

Constantiae, in Germania, sancti Conradi Episcopi.

Romae sancti Leonardi a Portu Mauritio, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, zelo animarum et sacris per Italiam expeditionibus conspicui; quem Pius Nonus, Pontifex Maximus, in Sanctorum canonem retulit, ac Pius Papa Undecimus caelestem Patronum Sacerdotum qui ad sacras populares Missiones in regionibus catholicis ubique terrarum incumbunt, elegit et constituit.

In territorio Rhemensi natalis sancti Basoli Confessoris.

Hadrianopoli, in Paphlagonia, sancti Styliani Anachoretæ, miraculis clari.

In Armenia sancti Niconis Monachi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Novembris**      **Quinto Kalendas Decembris. xxviiij. A**

Antiochiae sanctorum Martyrum Basilei Episcopi, Auxilii et Saturnini.

Sebaste, in Armenia, sanctorum Martyrum Hirenarchi, Acacii Presbyteri, ac septem mulierum. Harum porro constantia Hirenarchus commotus, ad Christum conversus, sub Diocletiano Imperatore et Maximo Praeside, una cum Acacio, securi percutitur.

Apud Caeam fluvium, in Gallaecia, sanctorum Facundi et Primitivi, qui sub Attico Praeside passi sunt.

In Perside sancti Jacobi intercisi, Martyris conspicui, qui, tempore Theodosii junioris, cum in Isdegerdis Regis gratiam Christum negasset, et propterea mater ejus et uxor ab ipsius se consuetudine subtraxissent, hinc, in se reversus, intrepide coram Vararane, Isdegerdis filio ac successore, se Christianum esse confessus est; ideoque ab irato Rege, lata in eum mortis sententia, membratim jussus est concidi et capite obtruncari. Quo etiam tempore innumeri alii Martyres ibidem passi sunt.

Aquilejae sancti Valeriani Episcopi.

Apud Regium, in Gallia, sancti Maximi, Episcopi et Confessoris; qui, usque a primaevae aetatis annis omni

virtutum gratia praeditus, primum Lirinensis coenobii Pater, deinde Regiensis Ecclesiae Episcopus, signis et prodigiis inclytus exstitit.

Salisburgi, in Norico, sancti Virgilio, Episcopi et Carinthiorum Apostoli, qui a Gregorio Nono, Pontifice Maximo, in Sanctorum numerum adscriptus est.

Apud Indos, Persis finitimos, sanctorum Barlaam et Josaphat, quorum actus mirandos sanctus Joannes Damascenus conscripsit.

Lutetiae Parisiorum depositio sancti Severini, Monachi et Solitarii.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Novembris**      **Quarto Kalendas Decembris. xxvij. B**

Apud Corinthum natalis sancti Sosthenis, ex beati Pauli Apostoli discipulis; cujus mentionem facit idem Apostolus Corinthiis scribens. Ipse autem Sosthenes, ex principe Synagogae conversus ad Christum, fidei suae primordia, ante Gallionem Proconsulem acriter verberatus, praeclaro initio consecravit.

Romae sancti Rufi, quem, cum omni familia sua, Christi Martyrem Diocletianus fecit.

In Africa sanctorum Martyrum Papiniani et Mansueti

Episcoporum, qui, tempore Wandalicae persecutionis, sub Rege Ariano Genserico, pro fidei catholicae defensione, candentibus ferri laminis toto corpore adusti, gloriosum agonem consummarunt. Quo etiam tempore alii novem sancti Episcopi, scilicet Valerianus, Urbanus, Crescens, Eustachius, Cresconius, Crescentianus, Felix, Hortulanus et Florentianus, damnati exsilio, cursum vitae suae impleverunt.

Constantinopoli sanctorum Martyrum Stephani junioris, Basilio, Petri, Andreae, et Sociorum trecentorum et triginta novem Monachorum; qui, sub Constantino Copronymo, pro sanctarum Imaginum cultu variis excruciatii suppliciiis, veritatem catholicam effuso sanguine confirmarunt.

Neapoli, in Campania, depositio sancti Jacobi Piceni, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, vitae asperitate, apostolica praedicatione ac pluribus pro re Christiana obitis legationibus praeclari; quem Benedictus Decimus tertius, Pontifex Maximus, Sanctorum fastis adjunxit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Novembris**      **Tertio Kalendas Decembris.** xxvj. C

Vigilia sancti Andreae Apostoli.

Romae, via Salaria, natalis sanctorum Martyrum Saturnini senis, et Sisinii Diaconi, sub Maximiano Principe; quos, diu

in carcere maceratos, jussit Urbis Praefectus in equuleum levare et attrahi nervis, fustibus ac scorpionibus caedi, deinde eis flammam apponi, et, depositos de equuleo, capite truncari.

Tolosae sancti Saturnini Episcopi, qui, temporibus Decii, in Capitolio ejusdem urbis a Paganis tentus atque de summa Capitolii arce per omnes gradus praecipitatus est, atque ita, capite colliso, excussoque cerebro, et toto corpore dilaniato, dignam Christo animam reddidit.

Item passio sanctorum Paramonis et Sociorum trecentorum septuaginta quinque, sub Decio Imperatore et Aquilino Praeside.

Ancyras, in Galatia, sancti Philomeni Martyris, qui, in persecutione Aureliani Imperatoris, sub Felice Praeside, igne probatus, manibus pedibusque ac demum capite clavis confixo, martyrium consummavit.

Verulis, in Hernicis, sanctorum Martyrum Blasii et Demetrii.

Tuderti, in Umbria, sanctae Illuminatae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Novembris**      **Pridie Kalendas Decembris.**    **xxv. D**

Apud Patras, in Achaja, natalis sancti Andreae Apostoli, qui



in Thracia et Scythia sacrum Christi Evangelium praedicavit. Is, ab Aegea Proconsule comprehensus, primum in carcere clausus est, deinde gravissime caesus, ad ultimum suspensus in cruce, in ea populum docens biduo supervixit; et, rogato Domino ne eum sineret de cruce deponi, circumdatus est magno splendore de caelo, et, abscedente postmodum lumine, emisit spiritum.

Romae passio sanctorum Castuli et Euprepitis.

Constantinopoli sanctae Maurae, Virginis et Martyris.

Item sanctae Justinae, Virginis et Martyris.

Romae sancti Constantii Confessoris, qui, fortiter Pelagianis resistens, ab eorum factione pertulit multa, quae illum sanctis Confessoribus sociarunt.

Apud Santonas, in Gallia, sancti Trojani Episcopi, magnae sanctitatis viri, qui, sepultus in terris, se in caelis vivere multis virtutibus manifestat.

In Palaestina beati Zosimi Confessoris, qui, sub Justino Imperatore, sanctitate et miraculis fuit insignis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

# Decembris

**1 Decembris**      **Kalendis Decembris.**      **xxij. A**

Sancti Nahum Prophetae, in Begabar quiescentis.

Romae sanctorum Martyrum Diodori Presbyteri, et Mariani Diaconi, cum aliis pluribus, qui, sub Numeriano Principe, cum in Arenario natalitia Martyrum agerent, illic, obstructa a persecutoribus janua cryptae ac diruta desuper mole, martyrii gloriam meruerunt.

Item Romae passio sanctorum Lucii, Rogati, Cassiani et Candidae.

Narniae sancti Proculi, Episcopi et Martyris; qui, post multa egregia opera, a Rege Gothorum Totila jussus est decollari.

In civitate Casalensi sancti Evasii, Episcopi et Martyris.

Eodem die sancti Ansani Martyris, qui, sub Diocletiano Imperatore, Romae confessus Christum et in carcerem trusus, deinde Senas, in Tuscia, perductus, ibidem capitis obruncatione cursum martyrii perfecit.

Ameriae, in Umbria, sancti Olympiadis, viri Consularis, qui a beata Firmina ad fidem est conversus, et sub Diocletiano, in equuleo tortus, martyrium consummavit.

Arbele, in Perside, sancti Ananiae Martyris.

Mediolani sancti Castritiani Episcopi, qui, in maxima Ecclesiae perturbatione, virtutum meritis ac rerum pie religioseque gestarum laude enituit.

Brixiae sancti Ursicini Episcopi.

Noviomi, in Belgio, sancti Eligii Episcopi, cujus vitam admirandam multiplex signorum numerus commendat.

Apud Virodunum, in Gallia, sancti Agerici Episcopi.

Eodem die sanctae Nataliae, uxoris beati Hadriani Martyris, quae, sub Diocletiano Imperatore, sanctis Martyribus, Nicomediae in carcere detentis, multo tempore ministravit; impletoque eorum certamine, Constantinopolim est profecta, et ibidem in pace quievit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**2 Decembris**      **Quarto Nonas Decembris.**      **xxj. B**

Apud Forum Cornelii, in Aemilia, natalis sancti Petri, Episcopi Ravennatis, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, cognomento Chrysologi, doctrina et sanctitate celebris. Ipsi tamen festum pridie Nonas hujus mensis recolitur.

In Sanciano, Sinarum insula, item natalis sancti Francisci

Xaverii, Sacerdotis e Societate Jesu et Confessoris, Indiarum Apostoli, gentium conversione, donis et miraculis clari; qui plenus meritis et laboribus obdormivit in Domino. Ipsum beatum virum Pius Decimus, Pontifex Maximus, caelestem sodalitati et operi Propagandae Fidei Protectorem elegit atque constituit; Pius vero Papa Undecimus peculiarem omnibus Missionibus Patronum dedit et confirmavit. Ejus autem festivitas, jussu Alexandri Papae Septimi, sequenti die celebratur.

Romae sanctorum Martyrum Eusebii Presbyteri, Marcelli Diaconi, Hippolyti, Maximi, Adriae, Paulinae, Neonis, Mariae, Martanae et Aureliae; qui omnes in persecutione Valeriani, sub Secundiano Judice, martyrium compleverunt.

Item Romae sancti Pontiani Martyris, cum aliis quatuor.

In Africa natalis sanctorum Martyrum Severi, Securi, Januarii et Victorini; qui ibidem martyrio coronati sunt.

Aquilejae sancti Chromatii, Episcopi et Confessoris.

Veronae sancti Lupi, Episcopi et Confessoris.

Edessae, in Syria, sancti Nonni Episcopi, cujus precibus Pelagia poenitens ad Christum conversa est.

Troade, in Phrygia, sancti Silvani Episcopi, miraculis clari.

Brixiae sancti Evasii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et

Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**3 Decembris**      **Tertio Nonas Decembris.**      **vij. E**

Sancti Francisci Xaverii, Sacerdotis e Societate Jesu et Confessoris, Indiarum Apostoli, sodalitatis et operis Propagandae Fidei atque Missionum omnium Patroni caelestis; qui pridie hujus diei quievit in pace.

In Judaea sancti Sophoniae Prophetae.

Romae sanctorum Martyrum Claudii Tribuni, et uxoris Hilariae, filiorum Jasonis et Mauri, cum septuaginta militibus. Ex eis Claudium jussit Numerianus Imperator, ingenti saxo alligatum, in flumen praecipitem dari; milites vero et ipsius Claudii filios capitali sententia puniri. Beata autem Hilaria, cum filiorum corpora sepelisset, paulo post, orans ad eorum sepulcrum, tenta est a Paganis, et, in carcerem trusa, migravit ad Dominum.

Tingi, in Mauritania, passio sancti Cassiani Martyris, qui, cum exceptoris diu gessisset officium, tandem, admiratus intrepida beati Marcelli Centurionis responsa et immobilem in Christi fide constantiam, atque caelitus inspiratus, execrabile duxit Christianorum neci deservire; ideoque, cum renuntiasset eidem officio, et ipse, sub Christiana professione, capite abscissus, triumphum meruit obtinere martyrii.

Item in Africa sanctorum Martyrum Claudii, Crispini, Maginae, Joannis et Stephani.

In Pannonia sancti Agricolae Martyris.

Nicomediae passio sanctorum Ambici, Victoris et Julii.

Mediolani sancti Mirocletis, Episcopi et Confessoris; cujus aliquando sanctus Ambrosius meminit.

Dorcestriae, in Anglia, sancti Birini, qui fuit primus ejusdem civitatis Episcopus.

Curiae, in Germania, sancti Lucii, Britannorum Regis, qui primus ex iis Regibus fidem Christi suscepit, tempore sancti Eleutherii Papae.

Senis, in Tuscia, sancti Galgani Eremitae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**4 Decembris**

**Pridie Nonas Decembris.**

**vij. F**

Sancti Petri Chrysologi, Episcopi Ravennatis, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, cujus memoria quarto Nonas hujus mensis recensetur.

Nicomediae passio sanctae Barbarae, Virginis et Martyris; quae, in persecutione Maximini, post diram carceris macerationem, lampadarum adustionem, mamillarum praecisionem atque alia tormenta, gladio martyrium consummavit.

Constantinopoli sanctorum Theophanis et Sociorum.

In Ponto beati Meletii, Episcopi et Confessoris; qui, cum esset ob eruditionis praerogativam praecipuus, ob virtutem tamen animi et vitae sinceritatem longe magnificentior exstitit.

Bononiae sancti Felicis Episcopi, qui antea Mediolanensis Ecclesiae, sub sancto Ambrosio, Diaconus fuerat.

In Anglia sancti Osmundi, Episcopi et Confessoris.

Coloniae Agrippinae sancti Annonis Episcopi.

In Mesopotamia sancti Maruthae Episcopi, qui Dei Ecclesias, ob persecutionem Isdegerdis Regis collapsas, in Perside reparavit, multisque miraculis clarus, apud hostes etiam meruit honorari.

Parmae sancti Bernardi, Cardinalis et ejusdem civitatis Episcopi, ex Ordine Vallis Umbrosae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**5 Decembris**

**Nonis Decembris.**

**vij. G**

In Judaea sancti Sabbae Abbatis, in oppido Cappadociae Mutala orti, qui miro sanctitatis exemplo refulsit, et pro fide catholica, adversus impugnantes sanctam Synodum

Chalcedonensem, strenue laboravit, ac tandem in ea dioecesis Hierosolymitanae laura, quae ipsius sancti Sabbae nomine postmodum est insignita, requievit in pace.

Niciae, apud Varum fluvium, sancti Bassi Episcopi, qui, in persecutione Decii et Valeriani, a Perennio Praeside, ob Christi fidem, equuleo tortus, laminis candentibus ustus, fustibus et scorpionibus caesus, in ignem missus, et, cum inde evasisset illaesus, duobus clavis confixus, illustre martyrium consummavit.

Papiae sancti Dalmatii, Episcopi et Martyris; qui in persecutione Maximiani passus est.

Corfinii, in Pelignis, sancti Pelini, Episcopi Brundusini, qui, cum ob ejus orationem, sub Juliano Apostata, templum Martis corruisset, a templorum Pontificibus dirissime caesus est, atque, octoginta et quinque vulneribus confossus, martyrii coronam promeruit.

Item sancti Anastasii Martyris, qui, prae ardore martyrii, sponte se persecutoribus obtulit.

Thagurae, in Africa, sanctorum Martyrum Julii, Potamiie, Crispini, Felicis, Grati et aliorum septem.

Thebeste, in Numidia, sanctae Crispinae, nobilissimae femina, quae, temporibus Diocletiani et Maximiani, cum sacrificare nollet, jussu Anolini Proconsulis decollata est; quam sanctus Augustinus saepe laudibus celebrat.

Treviris sancti Nicetii Episcopi, mirae sanctitatis viri.



Polyboti, in Asia, sancti Joannis Episcopi, cognomento Thaumaturgi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**6 Decembris**      **Octavo Idus Decembris.**      **vij. A**

Myrae, quae est metropolis Lyciae, natalis sancti Nvcolai, Episcopi et Confessoris, de quo, inter plura miraculorum insignia, illud memorabile fertur, quod Imperatorem Constantinum ab interitu quorundam se invocantium, longe constitutus, ad misericordiam per visum monitis deflexit et minis.

Eodem die sancti Polychronii Presbyteri, qui, tempore Constantii Imperatoris, cum ad altare Missas ageret, invasus est ab Arianis et jugulatus.

In Africa sancti Majorici, filii sanctae Dionysiae, qui, cum esset adolescentulus ac tormenta pavesceret, matris obtutibus verbisque corroboratus est, et, ceteris fortior factus, in tormentis animam reddidit; quem amplexata mater domi sepelivit, et ad ejus sepulcrum assidue orare consuevit.

Ibidem sanctarum mulierum Dionysiae, quae sancti Majorici Martyris exstitit mater, Dativae ac Leontiae; itemque religiosi viri, nomine Tertii, Aemiliani medici, et Bonifatii, cum aliis tribus. Hi omnes, in persecutione

Wandalica, sub Ariano Rege Hunnerico, gravissimis et innumeris suppliciis pro catholicae fidei defensione cruciati, sanctorum Christi Confessorum numero sociari meruerunt.

Romae sanctae Asellae Virginis, quae (ut beatus Hieronymus scribit), ex utero matris benedicta, vitam in jejuniis et orationibus usque ad senectam produxit.

Granatae, in Hispania, passio beati Petri Paschasio, Episcopi Giennensis et Martyris, ex Ordine beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**7 Decembris**      **Septimo Idus Decembris.**      **vij. B**

Vigilia Conceptionis Immaculatae beatæ Mariæ Virginis.

Sancti Ambrosii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, qui pridie Nonas Aprilis obdormivit in Domino, sed hac die potissimum colitur, qua Mediolanensem Ecclesiam gubernandam suscepit.

Romae beati Eutychiani Papae, qui per diversa loca trecentos quadraginta duos Martyres manu sua sepelivit; quibus et ipse deinde sociatus, sub Numeriano Imperatore, martyrio coronatus est, et in coemeterio Callisti sepultus.

Alexandriae natalis beati Agathonis militaris, qui, in

persecutione Decii, cum prohiberet quosdam volentes illudere cadaveribus Martyrum, clamor repente totius vulgi adversus eum extollitur; oblatum autem Judici, et in Christi confessione persistens, capite pro pietate damnatus est.

Antiochia sanctorum Martyrum Polycarpi et Theodori.

Tuburbi, in Africa, sancti Servi Martyris, qui, in persecutione Wandalica, sub Ariano Rege Hunnerico, fustibus diutissime caesus, trochleis frequenter in sublime elevatus atque ictu celeri super silices pondere corporis dimissus, et lapidibus acutissimis perfrictus, martyrii palmam adeptus est.

Theani, in Campania, sancti Urbani, Episcopi et Confessoris.

Apud Santonas, in Gallia, sancti Martini Abbatis, ad cuius tumulum creberrima divinitus fiunt miracula.

Eboriaci, in territorio Meldensi, commemoratio sanctae Farae, etiam Burgundofarae nomine appellatae, Abbatissae et Virginis, cuius dies natalis tertio Nonas Aprilis recensetur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**8 Decembris**

**Sexto Idus Decembris.**

**vij. C**

Conceptio Immacolata gloriosae semper Virginis Genitricis

Dei Mariae, quam fuisse praeservatam, singulari Dei privilegio, ab omni originalis culpa labe immunem, Pius Nonus, Pontifex Maximus, hac ipsa recurrente die, solemniter definivit.

Treviris sancti Eucharii, qui fuit discipulus beati Petri Apostoli et primus ejusdem civitatis Episcopus.

Alexandriae sancti Macarii Martyris, qui, tempore Decii, cum a Judice multis verbis ad negandum Christum suaderetur, et eo majori constantia suam profiteretur fidem, vivus ad ultimum exuri jubetur.

In Cypro sancti Sophronii Episcopi, qui pupillorum, orphanorum ac viduarum defensor mirificus, et pauperum atque oppressorum omnium adjutor fuit.

In monasterio Luxoviensi, in Gallia, sancti Romarici Abbatis, qui, cum in aula Theodoberti Regis primus esset, renunciavit saeculo, et monasticae etiam observantiae laude ceteris antecelluit.

Constantinopoli sancti Patapii Solitarii, virtutibus et miraculis clari.

Romae Inventio sanctorum Martyrum Nemesii Diaconi, ejusque filiae Lucillae Virginis, Symphronii, Olympii Tribuni, hujusque uxoris

Exsuperiae et Theoduli filii; quorum memoria octavo Kalendas Septembris recensetur.

Veronae Ordinatio sancti Zenonis Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**9 Decembris**      **Quinto Idus Decembris.**      **vij. D**

Carthagine sancti Restituti, Episcopi et Martyris, in cujus solemnitate sanctus Augustinus de ipso ad populum sermonem habuit.

Item in Africa sanctorum Martyrum Petri, Successi, Bassiani, Primitivi et aliorum viginti.

Toleti, in Hispania, natalis sanctae Leocadiae, Virginis et Martyris; quae, in persecutione Diocletiani Imperatoris, a Praefecto Hispaniarum Daciano inclusa carcere ac dire macerata, in eo tandem, cum gravissimos beatae Eulaliae et reliquorum Martyrum cruciatus audisset, impollutum spiritum, genibus in oratione positis, Christo reddidit.

Lemovicis, in Aquitania, sanctae Valeriae, Virginis et Martyris.

Veronae sancti Proculi Episcopi, qui, in persecutione Diocletiani, colaphis ac fustibus caesus, e civitate pulsus est, ac tandem, in Ecclesiam suam restitutus, quievit in pace.

Papiae sancti Syri, qui fuit primus ejusdem civitatis

Episcopus, atque apostolicis signis et virtutibus claruit.

Apameae, in Syria, beati Juliani Episcopi, qui, tempore Severi, sanctitate refulsit.

Graji, in Burgundia, sancti Petri Fourier, qui Canonicus Regularis fuit Salvatoris Nostri, et Canonissarum Regularium Dominae Nostrae edocendis puellis Institutor; atque, virtutibus ac miraculis clarus, a Leone Decimo tertio, Pontifice Maximo, Sanctorum catalogo adjunctus est.

Petragoricis, in Gailia, sancti Cypriani Abbatis, magnae sanctitatis viri.

Nazianzi, in Cappadocia, sanctae Gorgoniae, quae fuit beatae Nonnae filia, atque beatorum Gregorii Theologi et Caesarii soror, cujus ipse Gregorius virtutes et miracula conscripsit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**10 Decembris**      **Quarto Idus Decembris.**      **vij. E**

Sancti Melchiadis, Papae et Martyris, cujus dies natalis recensetur tertio Idus Januarii.

Romae, via Ostiensi, Dedicatio Basilicae sancti Pauli Apostoli; quae, simul cum Dedicacione Basilicae sancti Petri, Apostolorum Principis, annua celebritate recolitur quartodecimo Kalendas Januarii.

Eodem die sanctorum Martyrum Carpophori Presbyteri, et Abundii Diaconi; qui, in Diocletiani persecutione, primo fustibiis crudelissime caesi, deinde in carcerem, negato cibo et potu, retrusi, et rursum in equuleo torti, et post haec diu in carcere macerati, novissime gladio percussi sunt.

Alexandriae sanctorum Martyrum Mennae, Hermogenis et Eugraphi; qui sub Galerio Maximiano passi sunt.

Apud Leontinos, in Sicilia, sanctorum Martyrum Mercurii et Sociorum militum; qui, sub Tertyllo Praeside, tempore Licinii Imperatoris, gladio caesi sunt.

Ancyrae, in Galatia, sancti Gemelli Martyris, qui, post dira tormenta, sub Juliano Apostata, crucis supplicio martyrium consummavit.

Emeritae, in Hispania, passio sanctae Eulaliae Virginis, quae, sub Maximiano Imperatore, cum esset annorum duodecim, ibi, jussu Daciani Praesidis, pro confessione Christi, plurima tormenta est perpressa; novissime, in equuleo suspensa et exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne, spiritum reddidit.

Item ibidem sanctae Juliae, Virginis et Martyris; quae beatae Eulaliae socia fuit, et illi ad passionem properanti individua comes adhaesit.

Romae beati Gregorii Papae Tertii, qui sanctitate meritisque praeclarus migravit in caelum.

Viennae, in Gallia, sancti Sindulphi, Episcopi et

Confessoris.

Brixiae sancti Deusdedit Episcopi.

Laureti, in Piceno, Translatio sacrae Domus Genitricis Dei Mariae, qua in domo Verbum caro factum est. Ipsam vero beatissimam Virginem, Lauretanae titulo nuncupatam, Benedictus Papa Decimus quintus omnibus aereonautis praecipuam apud Deum Patronam attribuit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**11 Decembris**

**Tertio Idus Decembris.**

**xiv. F**

Romae sancti Damasi Primi, Papae et Confessoris; qui Apollinarem haeresiarcham damnavit, et Petrum, Episcopum Alexandrinum, fugatum restituit; multa etiam sanctorum Martyrum corpora invenit, eorumque memorias versibus exornavit.

Item Romae passio sancti Trasonis, qui, cum Christianos laborantes in thermis, aliisque operibus publicis fatigatos, et in carcere positos, de suis facultatibus aleret, jussu Maximiani tentus est, et cum aliis duobus, id est Pontiano et Praetextato, martyrio coronatus.

Ambiani, in Gallia, sanctorum Martyrum Victorici et Fusciani, sub eodem Imperatore, in quorum naribus et auribus jussit Rictiovarus Praeses immitti tarinchas, et clavis ardentibus tempora transfigi, deinde oculos evelli, ac



postmodum eorum corpora jaculari; sicque, una cum sancto Gentiano, eorum hospite, capitibus amputatis, migraverunt ad Dominum.

In Perside sancti Barsabae Martyris.

In Hispania sancti Eutychii Martyris.

Placentiae sancti Sabini Episcopi, miraculis clari.

Constantinopoli sancti Danielis Stylitae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**12 Decembris**

**Pridie Idus Decembris.**

**xiiij. G**

Alexandriae sanctorum Martyrum Epimachi et Alexandri, qui, sub Decio Imperatore, cum fuissent multo tempore in vinculis, atque, diversis suppliciis affecti, perdurassent in fide, ignibus tandem consumpti sunt. Sanctus vero Epimachus, simul cum sancto Gordiano Martyre, festiva celebritate colitur sexto Idus Maji.

Romae sancti Synesii Martyris, qui, beati Xysti Papae Secundi tempore ordinatus Lector, et, cum multos convertisset ad Christum, apud Aurelianum Imperatorem accusatus, martyrii coronam gladio percussus accepit.

Eodem die sanctorum Martyrum Hermogenis, Donati et aliorum viginti duorum.

Treviris sanctorum Martyrum Maxentii, Constantii, Crescentii, Justini et Sociorum; qui in persecutione Diocletiani, sub Rictiovaro Praeside, passi sunt.

Alexandriae sanctarum Ammonariae Virginis, Mercuriae, Dionysiae et alterius Ammonariae. Harum prima, in persecutione Decii, inauditis tormentorum generibus superatis, beatum vitae finem, ferro caedente, percepit; tres vero aliae, cum Judex a feminis superari erubesceret, ac dubitaret, ne, eadem in illas exercens cruciamenta, virili earum etiam constantia vinceretur, statim jussae sunt decollari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**13 Decembris**

**Idibus Decembris.**

**xij. A**

Syracusis, in Sicilia, natalis sanctae Luciae, Virginis et Martyris, in persecutione Diocletiani. Haec nobilis Virgo, cum eam lenones, quibus, jubente Paschasio Consulari, tradita erat ut a populo castitati ejus illuderetur, ducere vellent, nullatenus per illos moveri potuit, nec funibus additis, nec boum jugis plurimis; deinde vero, picem, resinam ac fervens oleum nil laesa superans, tandem, gladio in gutture percussa, martyrium consummavit.

Molini, in Gallia, item natalis sanctae Joannae-Franciscae Fremiot de Chantal Viduae, quae Ordinis Sanctimonialium Visitationis sanctae Mariae fuit Institutrix; ac, nobilitate

generis, vitae sanctimonia, quam in quadruplici statu constanter duxit, et miraculorum dono illustris, a Clemente Decimo tertio, Pontifice Maximo, in Sanctarum numerum relata est. Sacrum ejus corpus Annesium, in Sabaudia, translatum fuit, et solenni pompa in prima sui Ordinis Ecclesia tumultum. Ipsius autem festum duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens Papa Decimus quartus celebrari mandavit.

In Armenia passio sanctorum Martyrum Eustratii, Auxentii, Eugenii, Mardarii et Orestis, in persecutione Diocletiani. Ex ipsis Eustratius, primum sub Lysia, deinde Sebaste, sub Agricola Praeside, una cum Oreste exquisitis tormentis cruciatus, in fornacem missus reddidit spiritum; Orestes autem, in stratum ferreum ignitum positus, migravit ad Dominum; ceteri apud Arabracos, saevissimis agitati suppliciis, sub Lysia Praeside, diversimode martyrium consummarunt. Eorum corpora, postea Romam translata, in Ecclesia sancti Apollinaris honorifice collocata sunt.

In Sulcitana insula, apud Sardiniam, passio sancti Antiochi, sub Hadriano Imperatore.

Cameraci, in Gallia, sancti Authberti, Episcopi et Confessoris.

In pago Pontivo, in Gallia, sancti Judoci, Presbyteri et Confessoris.

In territorio Argentoratensi sanctae Othiliae Virginis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**14 Decembris**

**Decimo nono Kalendas  
Januarii.**

**xj. B**

Ubedae, in Hispania, natalis sancti Joannis a Cruce, Presbyteri et Confessoris, sanctae Teresiae in Carmelitarum reformatione socii; quem, a Summo Pontifice Benedicto Decimo tertio Sanctis adscriptum, Pius Papa Undecimus Doctorem universalis Ecclesiae declaravit. Ipsius tamen festivitas agitur octavo Kalendas Decembris.

Rhemis, in Gallia, passio sanctorum Nicasii Episcopi, ac sororis Eutropiae Virginis, et Sociorum Martyrum; qui a barbaris Ecclesiae hostibus caesi sunt.

Alexandriae sanctorum Martyrum Heronis, Arsenii, Isidori, et Dioscori pueri. Horum tres primos Judex, in persecutione Deciana, cum eos, variis tormentis dilanians, pari armatos constantia videret, tradi ignibus jubet; Dioscorus vero, multipliciter flagellatus, divino nutu ad consolationem fidelium dimissus est.

Antiochiae natalis sanctorum Martyrum Drusi, Zosimi et Theodori.

Eodem die passio sanctorum Justi et Abundii, qui, sub Numeriano Imperatore et Olybrio Praeside, coniecti in ignem, et, cum inde evasisent illaesi, gladio percussi sunt.

In Cypro natalis beati Spiridionis Episcopi, qui unus fuit ex illis Confessoribus, quos Galerius Maximianus, dextro oculo effosso et sinistro poplite succiso, ad metalla damnaverat. Hic prophetiae dono et signorum gloria inclytus fuit, et in Nicaeno Concilio philosophum ethnicum, Christianae religioni insultantem, devicit et ad fidem perduxit.

Bergomi sancti Viatoris, Episcopi et Confessoris.

Papiae sancti Pompeji Episcopi.

Neapoli, in Campania, sancti Agnelli Abbatis, virtute miraculorum illustris, qui obsessam urbem saepe visus est Crucis vexillo ab hostibus liberare.

Mediolani sancti Matroniani Eremita.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**15 Decembris**

**Decimo octavo Kalendas  
Januarii.**

**x. C**

Octava Conceptionis Immaculatae beatae Mariae Virginis.

Romae sanctorum Martyrum Irenaei, Antonii, Theodori, Saturnini, Victoris, et aliorum decem et septem, qui, in persecutione Valeriani, pro Christo passi sunt.

In Africa passio sanctorum Faustini, Lucii, Candidi,

Caeliani, Marci, Januarii et Fortunati.

Ibidem sancti Valeriani Episcopi, qui, cum esset annorum plus octoginta, in persecutione Wandalica, sub Rege Ariano Genserico, conventus ab eo ut traderet Ecclesiae utensilia, idque constanter renuisset, extra civitatem singularis jussus est pelli; cumque praeceptum esset ut nullus eum neque in domo neque in agro dimitteret habitare, multo tempore in strata publica nudo sub aëre jacuit, et, in confessione et defensione catholicae veritatis, cursum beatae vitae complevit.

In territorio Aurelianensi sancti Maximini Confessoris.

Apud Iberos, trans Pontum Euxinum, sanctae Christianae ancillae, quae miraculorum virtute gentem illam, tempore Constantini, ad Christi fidem perduxit.

Vercellis Ordinatio sancti Eusebii, Episcopi et Martyris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**16 Decembris**

**Decimo septimo Kalendas  
Januarii.** ix. D

Sancti Eusebii, Episcopi Vercellensis et Martyris; cujus dies natalis Kalendis Augusti, et Ordinatio decimo octavo Kalendas Januarii refertur.

Sanctorum Trium Puerorum, id est Ananiae, Azariae et

Misaelis; quorum corpora apud Babyloniam, sub quodam specu, sunt posita.

Ravennae sanctorum Martyrum Valentini, magistri militum, ejusque filii Concordii, atque Navalis et Agricolae; qui, in persecutione Maximiani, pro Christo passi sunt.

Formiis, in Campania, sanctae Albinae, Virginis et Martyris, sub Decio Imperatore.

In Africa passio plurimarum sanctarum Virginum, quae, in persecutione Wandalica, sub Ariano Rege Hunnerico, suspendia, pondera laminasque ignitas perpressae, martyrii agonem feliciter consummarunt.

Viennae, in Gallia, beati Adonis, Episcopi et Confessoris.

In Hibernia sancti Beani Episcopi.

Gazae, in Palaestina, sancti Irenionis Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**17 Decembris**

**Sextodecimo Kalendas  
Januarii.**

**viiij. E**

Romae natalis sancti Joannis de Matha, Presbyteri et Confessoris, qui Ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum Fundator exstitit. Ipsius tamen festivitas, ex dispositione Innocentii Papae Undecimi, agitur

sexto Idus Februarii.

Massiliae, in Gallia, beati Lazari Episcopi, sanctarum Mariae Magdalenae ac Marthae fratris, quem Dominus in Evangelio appellasse amicum et a mortuis excitasse legitur.

Eleutheropoli, in Palaestina, sanctorum Martyrum Floriani, Calanici, et Sociorum quinquaginta et octo; qui, tempore Heraclii Imperatoris, a Saracenis ob Christi fidem occisi sunt.

In monasterio Fuldensi sancti Sturmii, Abbatis et Saxoniae Apostoli; quem Innocentius Papa Secundus, in Concilio secundo Lateranensi, in Sanctorum numerum retulit.

Bigardis, prope Bruxellas, in Brabantia, sanctae Wivinae Virginis, cujus egregiam sanctitatem miracula crebra testantur.

Constantinopoli sanctae Olympiadis Viduae.

Andaniae, apud Septem Ecclesias, in Belgio, beatae Beggae Viduae, quae fuit soror sanctae Gertrudis.

Eodem die Translatio. sancti Ignatii, Episcopi et Martyris; qui, tertius post beatum Petrum Apostolum, Antiochenam rexit Ecclesiam. Ejus corpus ab urbe Roma, ubi ipse, sub Trajano, gloriose martyrium tertio decimo Kalendas Januarii consummaverat, Antiochiam delatum, ibidem, in coemeterio Ecclesiae, extra portam Daphniticam, positum fuit; in qua celebritate sanctus Joannes Chrysostomus



concionem ad populum habuit. Postmodum vero ejus reliquiae rursus Romam translatae sunt, et in Ecclesia sancti Clementis, una cum corpore ejusdem beatissimi Papae et Martyris, summa veneratione reconditae.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**18 Decembris**

Quintodecimo Kalendas  
Januarii.

vij. F

Philippis, in Macedonia, natalis sanctorum Martyrum Rufi et Zosimi, qui ex illorum numero discipulorum fuerunt, per quos primitiva Ecclesia in Judaeis et Graecis fundata est; de quorum etiam felici agone scribit sanctus Polycarpus in epistola ad Philippenses.

Laodiceae, in Syria, passio sanctorum Theotimi et Basiliani. In Africa sanctorum Martyrum Quincti, Simplicii et aliorum; qui sub Decii et Valeriani persecutione passi sunt.

Ibidem sancti Moysetis Martyris.

Item in Africa sanctorum Martyrum Victuri, Victoris, Victorini, Adjutoris, Quarti et aliorum triginta.

Mopsuestiae, in Cilicia, sancti Auxentii Episcopi, qui, olim sub Licinio miles, potius elegit cingulum exuere quam uvae Baccho offerre; factusque Episcopus, praeclarus meritis quievit in pace.

Turonis, in Gallia, sancti Gatiani Episcopi, qui, a sancto Fabiano Papa primus ejusdem civitatis Episcopus ordinatus est, et multis clarus miraculis obdormivit in Domino.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**19 Decembris**

**Quartodecimo Kalendas  
Januarii.**

**vj. G**

In Mauritania sancti Timothei Diaconi, qui ob Christi fidem, post diros carceres, in ignem coniectus, martyrium consummavit.

Alexandriae beati Nemesii Martyris, qui, primo per calumniam quasi latro Judici delatus, eoque crimine absolutus, mox, in persecutione Decii, Christianae religionis nomine accusatur Aemiliano Judici; a quo, geminatis suppliciis excruciat, cum latronibus jussus est incendi, Salvatoris deferens similitudinem, qui una cum latronibus pertulit crucem.

Nicaeae, in Bithynia, sanctorum Martyrum Darii, Zosimi, Pauli et Secundi.

Nicomediae sanctorum Martyrum Cyriaci, Paulilli, Secundi, Anastasii, Syndimii et Sociorum.

Gazae, in Palaestina, passio sanctarum Meuris et Theae.

Romae depositio sancti Anastasii Papae Primi, viri ditissimae paupertatis et apostolicae sollicitudinis, quem (ut ait sanctus Hieronymus) diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali Episcopo truncaretur; nam, haud multo post ejus obitum, Roma a Gothis capta et direpta fuit.

Antisiodori sancti Gregorii, Episcopi et Confessoris.

Aurelianis, in Gallia, sancti Adjuti Abbatis, prophetico spiritu illustris.

Romae sanctae Faustae, quae fuit mater sanctae Anastasiae, ac nobilitate et pietate exstitit insignis.

Avenione beati Urbani Papae Quinti, qui, Sede Apostolica Romae restituta, Graecorum cum Latinis conjunctione perfecta, infidelibus coercitis, de Ecclesia optime meritus est. Ejus cultum pervetustum Pius Nonus, Pontifex Maximus, ratum habuit et confirmavit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**20 Decembris**

**Tertiodecimo Kalendas  
Januarii.**

**v. A**

Vigilia sancti Thomae Apostoli.

Romae natalis sancti Zephyrini, Papae et Martyris. Ipsius tamen festum recolitur septimo Kalendas Septembris.

Ibidem passio sancti Ignatii, Episcopi et Martyris; qui, tertius post beatum Petrum Apostolum, Antiochenam rexit Ecclesiam. Hic, in persecutione Trajani, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur; ibique, circumsedente Senatu, immanissimis poenarum suppliciis primo est affectus, dehinc objicitur leonibus, quorum dentibus praefocatus, hostia Christi efficitur. Ejus vero festivitas Kalendis Februarii celebratur.

Item Romae sanctorum Martyrum Liberati et Bajuli.

In Arabia sanctorum Martyrum Eugenii et Macarii Presbyterorum, qui a Juliano Apostata, cum ipsius impietatem arguissent, saevissimis plagis affecti sunt, atque in vastissimam eremum relegati, et gladio caesi.

Alexandriae sanctorum militum et Martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolomaei, Ingenis et Theophili; qui, tribunalibus astantes, cum quidam Christianus, in suppliciis positus, trepidaret et jam prope ad negandum declinaret, vultu, oculis ac nutibus illum conabantur erigere. Cumque hac de causa clamor totius populi in eos prosiliret, prorumpentes in medium se Christianos esse testati sunt; per quorum victoriam Christus, qui suis eam animi constantiam dederat, gloriosissime triumphavit.

Geldubae, in Germania, sancti Julii Martyris.

Antiochiae natalis sancti Philogonii Episcopi, qui, Dei nutu ex caesidico ad eam Ecclesiam regendam accersitus, adversus Arium, una cum sancto Alexandro Episcopo et

Sociis, primum pro fide catholica certamen iniit, clarusque meritis quievit in Domino; cujus annuam festivitatem sanctus Joannes Chrysostomus praeclaro encomio celebravit.

Brixiae sancti Dominici, Episcopi et Confessoris.

In Hispania depositio sancti Dominici de Sylos Abbatis, e sancti Benedicti Ordine, miraculis in captivorum liberatione celeberrimi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**21 Decembris**

**Duodecimo Kalendas  
Januarii.**

**iv. B**

Calaminae natalis beati Thomae Apostoli, qui Parthis, Medis, Persis et Hyrcanis Evangelium praedicavit; ac demum in Indiam pervenit, ibique, cum eos populos in Christiana religione instituisset, Regis jussu lanceis transfixus occubuit. Ipsius reliquiae primo ad urbem Edessam, in Mesopotamia, deinde Ortonam, apud Frentanos, translatae sunt.

Friburgi Helvetiorum item natalis sancti Petri Canisii, Sacerdotis e Societate Jesu et Confessoris, doctrina et sanctitate praeclari; qui, difficillimis Germaniae temporibus, fidem catholicam strenue defendit ac propagavit. Eum vero Pius Undecimus, Pontifex Maximus, Sanctorum catalogo adscripsit, simulque Doctorem

universalis Ecclesiae declaravit, et ipsius festum quinto Kalendas Maji agendum esse decrevit.

Antiochiae sancti Anastasii, Episcopi et Martyris; qui, Phocae Imperatoris tempore, a Judaeis, in seditione ab ipsis contra Christianos facta, saevissime necatus est.

Nicomediae sancti Glycerii Presbyteri, qui, in persecutione Diocletiani, multis tormentis vexatus, demum, in ignem coniectus, martyrium consummavit.

In Tuscia sanctorum Martyrum Joannis et Festi.

In Lycia sancti Themistoclis Martyris, qui, sub Decio Imperatore, pro sancto Dioscoro, qui quaerebatur ad necem, se obtulit, et, equuleo tortus, raptatus ac fustibus caesus, martyrii coronam adeptus est.

Treviris sancti Severini, Episcopi et Confessoris.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**22 Decembris**      **Undecimo Kalendas Januarii. iij. C**

Romae, via Lavicana, inter duas Lauros, natalis sanctorum triginta Martyrum, qui omnes una die, in persecutione Diocletiani, martyrio coronati sunt.

Item Romae sancti Flaviani Expraefecti, viri beatae Martyris Dafrosae atque patris beatarum Virginum et

Martyrum Bibianae ac Demetriae; qui, sub Juliano Apostata, pro Christo inscriptione damnatus, et ad Aquas Taurinas, in Etruria, in exsilium missus, illic in oratione spiritum Deo reddidit.

In Aegypto sanctorum Chaeremonis, Episcopi Nilopolis, et aliorum plurimorum Martyrum. Horum alii, saeviente Decii persecutione, fuga dispersi, in solitudinibus errantes, a bestiis interempti sunt; alii fame, frigore ac languore consumpti; alii a barbaris et latronibus necati; atque ita omnes, diverso mortis genere, eadem martyrii gloria coronati sunt.

Apud Ostia Tiberina sanctorum Martyrum Demetrii, Honorati et Flori.

Alexandriae sancti Ischyronis Martyris, qui, cum ad sacrificandum conviciis et injuriis cogereatur atque contemneret, ideo, praeacuta sude per media viscera transverberatus, neci traditur.

Nicomediae sancti Zenonis militis, qui, cum Diocletianum Cereri immolantem derisisset, propterea, maxillis confractis dentibusque excussis, capite truncatus est.

Chicagiae sanctae Franciscae Xaveriae Cabrini, Virginis, Instituti Missionariorum a Sacratissimo Corde Jesu Fundatricis, eximia caritate, invicta animi fortitudine et humilitate insignis, quam Pius Papa Duodecimus Sanctarum catalogo adscripsit et omnium emigrantium

caelestem apud Deum Patronam constituit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**23 Decembris**      **Decimo Kalendas Januarii.**      **ij. D**

Romae sanctae Victoriae, Virginis et Martyris, quae, in persecutione Decii Imperatoris, cum esset desponsata Eugenio pagano et nec nubere vellet neque sacrificare, ideo, post multa facta miracula, quibus plurimas Deo Virgines aggregaverat, a carnifice percussa est gladio in corde, rogatu sui sponsi.

Nicomediae passio sanctorum Migdonii et Mardonii, quorum alter, in Diocletiani persecutione, igne crematus, alter in fossam projectus occubuit. Tunc etiam Diaconus sancti Anthimi, Episcopi Nicomediensis, passus est; qui, cum litteras perferret ad Martyres, a Gentilibus tentus est, atque, lapidibus obrutus, migravit ad Dominum.

Ibidem natalis sanctorum viginti Martyrum, quos ipsamet Diocletiana persecutio, gravissimis tormentis cruciatos, Martyres Christi fecit.

In Creta sanctorum Martyrum Theoduli, Saturnini, Eupori, Gelasii, Euniciani, Zetici, Leomenis, Agathopodis, Basilidis et Evaristi; qui, in Decii persecutione, crudelia passi sunt et capite caesi.



Romae beati Servuli, qui (ut sanctus Gregorius Papa scribit), a primaeva sui aetate usque ad finem vitae, paralyticus jacuit in porticu prope Ecclesiam sancti Clementis, et demum, Angelorum cantibus invitatus, ad paradisi gloriam transivit; ad cujus tumulum Deus miracula creberrime ostendit.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**24 Decembris**      **Nono Kalendas Januarii.**      **j. E**

Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi. Cracoviae, in Polonia, natalis sancti Joannis Cantii, Presbyteri et Confessoris, quem, doctrina, propagandae fidei zelo, virtutibus ac miraculis clarum, Clemens Decimus tertius, Pontifex Maximus, Sanctorum numero adscripsit. Ejus autem festivitas tertio decimo Kalendas Novembris celebratur.

Apud Spoletum sancti Gregorii, Presbyteri et Martyris; qui, temporibus Diocletiani et Maximiani Imperatorum, primo nodosis fustibus caesus, ac deinde, post craticulam et carcerem, carduis ferreis in genibus percussus, sed et ardentibus lampadibus per latera incensus, tandem est decollatus.

Tripoli, in Phoenicia, sanctorum Martyrum Luciani, Metrobii, Pauli, Zenobii, Theotimi et Drusi.

Nicomediae sancti Euthymii Martyris, qui, in persecutione Diocletiani, cum multos ad martyrium praemisisset, et ipse, ense transfixus, eos secutus est ad coronam.

Antiochiae natalis sanctarum Virginum quadraginta, quae, in Deciana persecutione, per diversa tormenta martyrium consummarunt.

Burdigalae sancti Delphini Episcopi, qui, Theodosii tempore, claruit sanctitate.

Romae natalis sanctae Tharsillae Virginis, amitae sancti Gregorii Papae, de qua ipse testatur quod in hora exitus sui Jesum ad se venientem viderit.

Treviris sanctae Irminae Virginis, filiae Dagoberti Regis.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**25 Decembris**      **Octavo Kalendas Januarii.**      \*. F

Anno a creatione mundi, quando in principio Deus creavit caelum et terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono; a diluvio autem, anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo; a nativitate Abrahae, anno bis millesimo quintodecimo; a Moyse et egressu populi Israel de Aegypto, anno millesimo quingentesimo decimo; ab unctione David in Regem, anno millesimo trigesimo secundo; Hebdomada sexagesima

quinta, juxta Danielis prophetiam; Olympiade centesima nonagesima quarta; ab urbe Roma condita, anno septingentesimo quinquagesimo secundo; anno Imperii Octaviani Augusti quadragésimo secundo, toto Orbe in pace composito, sexta mundi aetate, Jesus Christus, aeternus Deus aeternique Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu Sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus (**Hic vox elevatur, et omnes genua flectunt**), in Bethlehem Judae nascitur ex Maria Virgine factus Homo.

**Hic autem in priori voce dicitur, et in tono passionis:**  
Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem.

**Quod sequitur, legitur in tono Lectionis consueto; et surgunt omnes.**

Eodem die natalis sanctae Anastasiae, quae, tempore Diocletiani, primo diram et immitem custodiam a viro suo Publico perpressa est, in qua tamen a Confessore Christi Chrysogono multum consolata et confortata fuit; deinde a Floro, Praefecto Illyrici, per diutinam custodiam macerata, ad ultimum, manibus et pedibus extensis, ligata est ad palos, et circa eam ignis accensus, in quo martyrium consummavit in insula Palmaria, ad quam una cum ducentis viris et septuaginta feminis deportata fuerat, qui variis interfectionibus martyrium celebrarunt.

Barcinone, in Hispania, item natalis sancti Petri Nolasci Confessoris, qui Fundator exstitit Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum, ac virtute et miraculis claruit. Ipsius autem festum colitur quinto Kalendas

Februarii.

Romae, in coemeterio Aproniani, sanctae Eugeniae Virginis, beati Martyris Philippi filiae, quae, tempore Gallieni Imperatoris, post plurima virtutum insignia, post sacros Virginum choros Christo aggregatos, sub Praefecto Urbis Nicetio diu agonizavit, ac novissime gladio jugulata est.

Nicomediae passio multorum millium Martyrum, qui cum in Christi Natali ad Dominicnm convenissent, Diocletianus Imperator januas Ecclesiae claudi jussit, et ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure prae foribus poni, ac praeconem magna voce clamare ut qui incendium vellent effugere, foras exirent et Jovi thus adolerent; cumque omnes una voce respondissent se pro Christo libentius mori, incenso igne consumpti sunt, atque ita eo die nasci meruerunt in caelis, quo Christus in terris pro salute mundi olim nasci dignatus est.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**26 Decembris**      **Septimo Kalendas Januarii.**    **xxix. G**

Hierosolymis natalis sancti Stephani Protomartyris, qui a Judaeis, non longe post Ascensionem Domini, lapidatus est.

Romae sancti Marini, ex ordine Senatorio viri, qui, sub Numeriano Imperatore et Marciano Praefecto, Christianae religionis causa comprehensus, equuleo et ungulis servili

more punitus, in sartagine deinde coniectus, sed, igne in rorem converso, liberatus, objectus quoque feris et ab illis nullatenus laesus; tandem, ad aram iterum ductus, et, cum idola oratione ejus corruissent, percussus gladio, martyrii triumphum adeptus est.

Ibidem, via Appia, depositio sancti Dionysii Papae, qui, multis pro Ecclesia impensis laboribus, fidei documentis clarus effulsit.

Item Romae sancti Zosimi, Papae et Confessoris.

In Mesopotamia sancti Archelai Episcopi, doctrina et sanctitate celebris.

Majumae, in Palaestina, sancti Zenonis Episcopi.

Romae sancti Theodori, qui Mansionarius Ecclesiae sancti Petri fuit, cujus et meminit beatus Gregorius Papa.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**27 Decembris**      **Sexto Kalendas Januarii.**      **xxviiij. A**

Apud Ephesum natalis sancti Joannis, Apostoli et Evangelistae, qui, post Evangelii scriptionem, post exsilii relegationem et Apocalypsim divinam, usque ad Trajani Principis tempora perseverans, totius Asiae fundavit rexitque Ecclesias, ac tandem, confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus est, et juxta

eamdem urbem sepultus.

Constantinopoli sanctorum Confessorum Theodori et Theophanis fratrum, qui, a pueritia in Palaestinensi sancti Sabbae monasterio nutriti, cum postea pro sanctorum Imaginum cultu adversus Leonem Armenum strenue decertarent, ejus jussu verberibus affecti sunt et exsilio relegati. Sed, eodem Leone mortuo, rursus Theophilo Imperatori, qui eadem impietate detinebatur, constanter resistentes, verberibus iterum caesi et in exsiliu[m] pulsati sunt, ubi Theodorus in carcere exspiravit. Theophanes vero, pace demum Ecclesiae reddita, factus est Nicaenae civitatis Episcopus, et confessionis gloria praeclarus quievit in Domino.

Alexandriae sancti Maximi Episcopi, qui satis clarus et insignis titulo confessionis effectus est.

Constantinopoli sanctae Nicaretis Virginis, quae, sub Arcadio Imperatore, claruit sanctitate.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**28 Decembris**      **Quinto Kalendas Januarii.**      **xxvij. B**

In Bethlehem Judae natalis sanctorum Innocentium Martyrum, qui pro Christo ab Herode Rege interfecti sunt.

Lugduni, in Gallia, item natalis sancti Francisci Salesii, Episcopi Gebennensis et Confessoris; quem, doctrina et

flagrantissimo in convertendis haereticis zelo praeclarum, Alexander Papa Septimus in Sanctorum numerum retulit, et ipsius festivitatem quarto Kalendas Februarii, quo die sacrum illius corpus Lugduno Annesium, in Sabaudia, fuit translatum, agendam esse constituit. Eum Pius Nonus, Pontifex Maximus, Doctorem universalis Ecclesiae declaravit; et Pius Papa Undecimus omnibus Scriptoribus catholicis, qui diariis aliisque scriptis in vulgus edendis Christianam sapientiam illustrant ac provehunt et tuentur, caelestem Patronum dedit seu confirmavit.

Ancyrae, in Galatia, sanctorum Martyrum Eutychie Presbyteri, et Domitiani Diaconi.

In Africa natalis sanctorum Martyrum Castoris, Victoris et Rogatiani.

Nicomediae sanctorum Martyrum Indis eunuchi, Domnae et Agapis ac Theophilae Virginum, et Sociorum; qui, in persecutione Diocletiani, post longa certamina, diverso mortis genere coronam martyrii sunt assecuti.

Neocaesareae, in Ponto, sancti Troadii Martyris, in persecutione Decii; cui quidem Troadio agonizanti sanctus Gregorius Thaumaturgus in spiritu adfuit, eumque ad subeundum martyrium roboravit.

Arabissi, in Armenia inferiore, sancti Caesarii Martyris, qui sub Galerio Maximiano passus est.

Romae sancti Domnionis Presbyteri.

In monasterio Lirinensi, in Gallia, sancti Antonii Monachi, miraculis clari.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**29 Decembris**      **Quarto Kalendas Januarii.**      **xxvj. C**

Cantuariae, in Anglia, natalis sancti Thomae, Episcopi et Martyris, qui, ob defensionem justitiae et ecclesiasticae immunitatis, in Basilica sua, ab impiorum hominum factione percussus gladio, Martyr migravit ad Christum.

Hierosolymis sancti David, Regis et Prophetae.

Arelate, in Gallia, natalis sancti Trophimi, cujus meminit sanctus Paulus ad Timotheum scribens. Ipse autem Trophimus, ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, praefatae urbi primus ad Christi Evangelium praedicandum directus est; ex cujus praedicationis fonte (ut sanctus Zosimus Papa scribit) tota Gallia rivulos fidei recepit.

Romae sanctorum Martyrum Callisti, Felicis et Bonifatii.

In Africa passio sanctorum Martyrum Dominici, Victoris, Primiani, Lybosi, Saturnini, Crescentii, Secundi et Honorati.

Constantinopoli sancti Marcelli Abbatis.



In pago Oxymensi, in Gallia, sancti Ebrulphi, Abbatis et Confessoris, tempore Childeberti Regis.

Viennae, in Gallia, Commemoratio sancti Crescentis, Episcopi et Martyris, qui fuit discipulus beati Pauli Apostoli ac primus ejusdem civitatis Episcopus, et cujus dies natalis quinto Kalendas Julii celebratur.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**30 Decembris**      **Tertio Kalendas Januarii.**      **xxv. D**

Romae natalis sancti Felicis Primi, Papae et Martyris, qui sub Aureliano Principe Ecclesiam rexit. Ipsius tamen festum tertio Kalendas Junii celebratur.

Spoleti item natalis sanctorum Martyrum Sabini, Assisiensis Episcopi, atque Exsuperantii et Marcelli Diaconorum, ac Venustiani Praesidis cum uxore et filiis, sub Maximiano Imperatore. Ex ipsis Marcellus et Exsuperantius, primum equuleo suspensi, deinde fustibus graviter mactati, postremum, abrasi unguis et laterum exustione assati, martyrium compleverunt; Venustianus autem non multo post, simul cum uxore et filiis, est gladio necatus; sanctus vero Sabinus, post detractionem manuum et diutinam carceris macerationem, ad mortem usque caesus est. Horum martyrium, licet diverso exstiterit tempore, una tamen die recolitur.

Alexandriae sanctorum Mansueti, Severi, Appiani, Donati, Honorii et Sociorum Martyrum.

Thessalonicae sanctae Anysiae Martyris.

Ibidem sancti Anysii, ejusdem civitatis Episcopi.

Mediolani sancti Eugenii, Episcopi et Confessoris.

Ravennae sancti Liberii Episcopi.

Aquilae, in Vestinis, sancti Rainerii Episcopi.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

---

**31 Decembris**      **Pridie Kalendas Januarii.**      **xxiv. E**

Romae natalis sancti Silvestri Primi, Papae et Confessoris; qui Magnum Constantinum Imperatorem baptizavit, et Nicaenam confirmavit Synodum, ac, multis aliis rebus sanctissime gestis, quievit in pace.

Item Romae, via Salaria, in coemeterio Priscillae, sanctarum Martyrum Donatae, Paulinae, Rusticae, Nominandae, Serotinae, Hilariae et Sociarum.

Apud Senonas beatorum Sabiniani Episcopi, et Potentiani; qui, a Pontifice Romano illuc ad praedicandum directi, confessionis suae martyrio eandem metropolim illustrarunt.

Catanae, in Sicilia, passio sanctorum Stephani, Pontiani, Attali, Fabiani, Cornelii, Sexti, Floris, Quinctiani,

Minervini et Simpliciani.

Apud Senonas sanctae Columbae, Virginis et Martyris; quae, igne superato, in persecutione Aureliani Imperatoris, gladio caesa est.

Eodem die sancti Zotici, Presbyteri Romani; qui, Consfantinopolim profectus, illic alendorum orphanorum curam suscepit.

Ravennae sancti Barbatiani, Presbyteri et Confessoris.

In pago Lalovesi, dioecesis Viennensis, in Delphinatu, depositio sancti Joannis-Francisci Regis, Sacerdotis e Societate Jesu et Confessoris, eximiae in salute animarum procuranda caritatis et patientiae viri; quem Clemens Papa Duodecimus in Sanctorum canonem retulit.

Rhaetiariae sancti Hermetis Exorcistae.

Lutetiae Parisiorum sanctae Catharinae Laboure, Virginis, e Societate Puellarum Caritatis, quae a Deipara Immaculata singulari manifestatione Sacri Numismatis donata, virtutibus et miraculis insignis exstitit, et a Pio Papa Duodecimo in sanctarum Virginum numerum relata est.

Eodem die sanctae Melaniae junioris, quae, cum viro suo Piniano, ex urbe Roma discessit, et Hierosolimam profecta est; ibique ipsa inter feminas Deo sacras et vir inter Monachos religiosam vitam exercuit, et ambo sancto fine quieverunt.

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.





# Appendix ad Martyrologium Romanum

---

## Excerpto ex Breviario Romano

### Prima incipitur

V. † Deus in adiutórium meum inténde.

R. Dómine, ad adiuvándum me festína.

V. Glória Patri, et Fílio, \* et Spirítui Sancto.

R. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculórum. Amen. Alleluia.

### Hymnus

### Psalmi

### Capitulum Responsorium Versus

(ex Psalterio secundum diem)

## Oratio

Dómine exáudi orationem meam

Et clamor meam ad te veniat

Orémus.

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti: tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinemus peccátum, sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procedant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum

Dómine exáudi orationem meam

Et clamor meam ad te veniat

Benedicámus Dómino.

Deo gratias

**Martyrologium** (ex Martyrologio secundum diem)

V. Et álibi aliórum plurimórum sanctórum Mártyrum et Confessórum, atque sanctárum Vírginum.

Deo grátias

V. Pretiósá in conspéctu Dómini.

R. Mors Sanctórum eius.

## Oratio

**S**ancta María et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adiuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

**V.** Deus in adiutórium meum inténde.

**R.** Dómine, ad adiuvándum me festína.

**V.** Deus in adiutórium meum inténde.

**R.** Dómine, ad adiuvándum me festína.

**V.** Deus in adiutórium meum inténde.

**R.** Dómine, ad adiuvándum me festína.

**V.** Glória Patri, et Fílio, \* et Spirítui Sancto.

**R.** Sicut erat in princípío, et nunc, et semper, \* et in sæcula sæculórum. Amen.

**K**yrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

**P**ater noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris:

**V.** Et ne nos indúcas in tentatiónem:

**R.** Sed líbera nos a malo.



V. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum.

R. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige.

V. Glória Patri, et Fílio, \* et Spirítui Sancto.

R. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, \* et in sácula sæculórum. Amen.

## Oratio

Orémus.

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum: ut hic et in ætérnum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereámur, Salvátor mundi: Qui vivis et regnas in sácula sæculórum.

R. Amen.

V. Iube Dómine benedícere.


## Benedictio.

† Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus  
omnípotens. Amen.

**Lectio brevis** (ex Psalterio secundum temporum)

**V.** Tu autem, Dómine, miserére nobis.

**R.** Deo grátias.





Anno Domini MMXIII

Eystadii